

Series II. — « ANALECTA OSBM » — Sectio I.
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція I.

SAC. STEPHANUS WIWČARUK

DE SYNODO PROVINCIALI BERESTENSI

ANNO 1765 NON CELEBRATA

Ed. 2

ROMAE 1963

PP. BASILIANI - VIA S. GIOSAFAT, 8 (Piazza S. Prisca)

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO I

Series II. — «ANALECTA OSBM» — «ЗАПИСКИ ЧСВВ» — Серия II.

Sectio I:

OPERA

vol. XVII

SAC. STEPHANUS WIWČARUK

DE SYNODO PROVINCIALI BERESTENSI AN. 1765 NON CELEBRATA

ROMAE

Series II. — « ANALECTA OSBM » — Sectio I.
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція I.

SAC. STEPHANUS WIWCARUK

DE SYNODO PROVINCIALI BERESTENSI

ANNO 1765 NON CELEBRATA

Ed. 2

ROMAE 1963

PP. BASILIANI - VIA S. GIOSAFAT, 8 (Piazza S. Prisca)

IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, die 15.XII.1962.

P. PAULUS P. MYSKIV
Protoarchimandrita - Superior Generalis

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 22.I.1963.

✠ ALOYSIUS Card. Provicarius

PRAEFATIO

Ucraina prima medietate saec. XVIII, geographice divisa inter duas principales dominationes, moscoviticam nempe et polonicam, in sphaera influxuum eorum inveniebatur. Etsi insurrectio Ucrainorum, duce Bohdano Chmelnytskyj medio saeculo XVII coepta, eam ab influxibus Poloniae magna ex parte liberavit, influxum tamen Moscoviae infelici tractatu Perejaslaviensi (1654) roboravit, quem ne quidem alia insurrectio Ducis Joannis Mazepa (1708), occasione belli Caroli XII Svedorum Regis contra Petrum I facta, excutere valuit. Limitem politicum inter duas dominationes flumen Dniro (Boristhenes) cum Urbe Kyjiv constituebat, quae tamen urbs post pacem Andrusovianam (1667) Moscoviae cessit. Similiter et Ecclesia divisa fuit: sub regimine polono-lithuanico generatim, inde ab Unione Berestensi (1596) cum Romana Ecclesia inita, catholica nominabatur et fuit reapse, dum sub ditionibus moscovitarum terrisque proxime adiacentibus « orthodoxiae » plerumque adhaerebat.

In praesenti dissertatione ex professo agemus de Ecclesia catholica in Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae. Necessitate ducti, quibusdam in locis gesta Ecclesiae alboruthenicae insimul tangere debemus, quae, post Unionem Berestensem, cum Ecclesia ucrainica generatim nomine Ecclesiae Ruthenae veniunt et unum quid tam sub aspectu ecclesiastico (Metropolia Kioviensis), quam civili constituunt. Cum vero sors Ecclesiae in terris militantis ut plurimum a rerum adiunctis politicis soleat dependere, ea hinc illinc opportune tangemus.

Pro natura rei dissertatio nostra nonnisi duas habere potest partes, historicam nempe, ad quam praecedens introductio subnecti potest, et doctrinalem, in qua valorem materiae synodalis in luce Synodorum Zamostianae ac Leopoliensis perscrutavimus. Maiorem partem fontium, quos adhibuimus, documenta inedita constituunt; consiliis peritorum obsequentes, selectionem eorum fideliter ex tabulis Archivi depromptam in tertia collocavimus parte.

Cum moris sit gratias persolvere, eas imprimis referimus Rev.mo P. Fredegando Callaey, O. F. M. Cap., magistro nostro, qui incommoda posthabens, quae inde sibi exoriebantur, suis consiliis historicis nobis praesto fuit; ceterisque aliis magistris, superioribus et amicis, qui quocumque modo, opere aut prece, nobis auxilium praestiterunt, gratum nostrum significamus animum.

Tanden R. P. Athanasio G. Welykyj, OSBM, Directori « Analectorum OSBM », qui opus typis edendum apparavit et editionem curavit fraternaliter exhibemus gratitudinem.

INDEX RERUM

	PAG.
<i>Praefatio</i>	V
<i>Fontes et Bibliographia</i>	IX
1. Fontes	IX
2. Bibliographia	X
3. Sigla et abbreviationes	XII

INTRODUCTIO

De vicissitudinibus politico-ecclesiasticis post Synodum Zamostianam (1720).	1
--	---

PARS I: HISTORIA

CAPUT I. De conamine reformationis liturgicae	19
CAPUT II. Synodi Berestensis obstacula	33
CAPUT III. De frustratione Synodi	52

PARS II: DOCTRINA

CAPUT I. De materia Synodali	73
CAPUT II. Relatio Decretorum Antesyndalium ad Synodum Zamostianam (1720) et Leopoliensem (1891)	84
CAPUT III. Recapitulatio et conclusio	103

PARS III: DOCUMENTA

I. Materia synodalis	111
II. Brevia, epistulae, aliaque documenta	151
1-3) Clementis PP. XIII tria Brevia	151
4) Copia Litterarum Convocatorialium	154
5) Epistula Metropolitanæ Wolodkowycz ad Regem Augustum	156
6) Copia responsi Regis ad litteras Metropol. totius Russiae	156
7) Copia Pro-Memoriae Nuntii Visconti ad Cancell. Coronae	158
8) Pro-Memoria Regis et Reipublicae Polon. Nuntio Visconti	159
9) Instructio pro legatis ad Synod. ex Cancellaria Regni Polonici edita	161
10) Epistula Card. Torrigiani ad Nuntium Visconti	162

FONTES ET BIBLIOGRAPHIA

I. Fontes

A) Fontes inediti

1. ARCHIVUM SECRETUM VATICANUM:
 - a) Archivio della Nunziatura di Varsavia, t. 32, 33, 40, 55, 56, 68, 74, 79, 89, 90, 91, 92, 99, 101, 107, 108, 109, 110, 149.
 - b) Nunziatura di Polonia, t. 238, 278, 344-III, Additamenta, t. 11.
2. ARCHIVUM S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE:
 - a) Acta S. Congregationis, t. 135, 136, 137.
 - b) Congregazioni Generali, t. 799, 810.
 - c) Congregazioni Particolari, t. 91, 92, 102, 120, 131.
 - d) Decreti della S. Congregazione, t. 2, 3.
 - e) Istruzioni, t. 3.
 - f) Lettere della S. Congregazione, t. 200, 202, 204, 206, 208, 215.
 - g) Scritture riferite nei Congressi:
 - Moscovia, Polonia, Ruteni, t. 9, 12.
 - Moscovia, Polonia, Ruteni, senza data.
 - Moscovia, Polonia, Ruteni: Relazioni, Miscellanea, t. 1.

B) Fontes editi

- Acta Benedicti XIV* sive nondum sive sparsim edita nunc primum collecta cura Raphaelis de Martinis, 2 vol., Neapoli 1894.
- Acta et Decreta Sacrorum Conciliorum Recentiorum* (Coll. Lacensis), t. II, Friburgi Br. 1870-1893.
- Acta et Decreta Synodi Provincialis Ruthenorum Galiciae habitae Leopoli a. 1891*, Romae 1896.
- Appendix ad Acta et Decreta Synodi Provincialis Ruthenorum Galiciae habitae Leopoli a. 1891*, Romae 1892.
- Akty izdavajemyje Vilenskoju Archeografibeskoju Kommissijeju*, t. XVI, Vilna 1889.
- Bullarium Pontificium S. Congregationis de Propaganda Fide*, t. III, Romae 1840.
- Canones et Decreta Sacrosancti Oecumenici Concilii Tridentini*, Taurini 1913.
- CODIFICAZIONE CANONICA ORIENTALE: *Fonti*, Fascicolo XI: *Ius Particulare Ruthenorum*, Vaticani 1933.
- DE MARTINIS, *Ius Pontificium de Propaganda Fide*, pars prima, vol. I-III, Romae 1888-1890.
- EYXOLOGION* (Euchologium Benedicti XIV), Romae 1754.
- GOAR JACOBUS, *Eucholohion sive Rituale Graecorum*, Venetiis 1730.
- HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862.
- HOLOWECKYJ D., *Fontes Iuris Canonici Ecclesiae Ruthenae*, Vaticani 1932.

- Magnum Bullarium Romanum, Benedicti XIV*, vol. I-III/2, Prati 1845-47.
 MALINOWSKI M., *Die Kirchen-und Staats-Satzungen bezueglich des griechisch-katholischen Ritus der Ruthenen in Galizien*, Lemberg 1861.
 PETRUSEVYC A., *Svodnaja Halytsko-russkaja Litopys s 1700 do 1772 hoda*, t. I, Leopoli 1887.
 PETRUSEVYC A., *Dopolnenija ko Svodnoj Halytsko-russkoj Litopysy (1700-1772)*, vol. I, Leopoli 1896.
Synodus Provincialis Ruthenorum habita in civitate Zamosciae anno 1720, editio tertia, Romae 1883.
 THEINER A., *Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, t. IV, Romae 1864.
 TURGENEV A. J., *Supplementum ad Historica Russiae Monumenta*, Petropoli 1848.
 VOLUMINA LEGUM, t. VII-VIII, Warszawa 1782.

II. Bibliographia

- ALKARA, *Ksiazce Reppin i Polska w pierwszym czteroleciu panowania Stanislawia Augusta (1764-1768)*, 2 vol., Krakow 1897.
 AMMANN A. M., *Storia della Chiesa Russa e dei paesi limitrofi*, Torino 1948.
 ANDRUSIAK M., *Projekt znesennia našoho obrjadu*, in: *Analecta OSBM*, t. III, fasc. 3-4, p. 574-581, Leopoli 1930.
 ANTONOVYC V., *Narys stanovyšča pravoslavnoji tserkvy na Ukrajinii vid polovyny XVII do kintsia XVIII st.*, in: *Rozvidky pro tserkovni vidnosyny na Ukrajinii - Rusy XVI XVIII vv.*, vol. VIII, Leopoli 1900.
 ANTONOVYC V., *Rozvidka pro hajdamackynu*, in: *Rozvidky pro Narodni Ruchy na Ukrajinii-Rusy v XVIII vitsi*, vol. XIX, Leopoli 1897.
 BANTYS-KAMENSKIJ N., *Istoričeskoje izvjestije o vozniknjej v Polše Uniji*, Vilnae 1866.
 BARVINSKYJ O., *Iliustrovana Istorija Rusy*, Lviv 1890.
 BEER A., *Die erste Teilung Polens*, t. II, Wien 1872.
 BENEDETTI E., *Studi di Ecclesiologia Orientale*, Roma 1929.
 BJEDNOV V. A., *Pravoslavnaja Tserkov v Polše i Litvje*, Iekaterinoslav 1908.
 BILBASOV V. A., *Istorija Ekateriny vtoroj*, vol. I-XII, Peterburg 1890.
 BLAZEJOWSKYJ D., *De potestate Metropolitaram Kioviensium catholicorum in clerum regularem*, Romae 1943.
 BOCIAN J., *De modificationibus in textu slavico liturgiae S. Joannis Chrisostomi apud Ruthenos subintroductis* in: *XRISOSTOMICA*, Romae 1908, p. 929-969.
 BONDIOLI R., *Ucraina*, in: *Collana Eurasia di Studi storico-politici*, Roma.
 BORSCHAK E., *La Légende historique de l'Ukraine « Istorija Rusov »*, in: *Collection historique de l'Institut d'Etudes slaves*, XIII, Paris 1949.
 CHARLES DE CLERCQ, *Histoire des Conciles*, t. XI, Paris 1949.
 CHOLMSKYJ J., *Istorija Ukrajiny*, Monachii 1949.
 CHOTKOWSKI W., *Historia polityczna Kosciota w Galicyi za rządów Maryi Teresy*, t. I, Cracoviae 1909.
 CHRUSTSEVIC G., *Istorija Zamojskaho Sobora (1720 goda)*, Vilna 1880.
 DABCZANSKI A., *Die ruthenische Frage in Galizien beleuchtet von einem Russinen*, Lemberg 1850.
 DLUGOSZ T., *Relacje Arcybiskupów Lwowskich 1595-1794*, Leopoli 1937.
 DOROSENKO D., *Narys istoriji Ukrajiny*, t. I-II, Varšava 1932-33.

- DOROSENKO D., *Istorija Ukrajiny*, Augsburg 1947.
- FORST-BATTAGLIA O., *Poniatowski* (trad. Mario Benzi), Milano 1930.
- GUËPIN A., *Saint Josaphat*, t. I, Poitiers 1874.
- HANSENS J. M., *Institutiones Liturgicae de Ritibus Orientalibus*, t. II, Romae 1930.
- HRUSEVSKYJ M., *Očerk Istoriji Ukrajinskoho Naroda*, S. Peterburg 1904.
- JANSSEN J., *Zur Genesis der ersten Theilung Polens*, Freiburg in Br. 1865.
- JEKEL F. J., *Polens Staatsveraenderungen und letzte Verfassung*, t. III, Wien 1803.
- KALINKA W., *Sejm Czteroletni*, t. II, pars I, Kraków 1895.
- KARTTUNEN L., *Les Nonciatures Apostoliques permanentes de 1650 à 1800*, Genève 1912.
- KOJALOVIC M., *Istorija vozsojedinenija zapadnorusskich Unijatov starych vremen*, S. Petersburg 1873.
- KRACKOVSKYJ J. O. *Očerki Unijatskoj Tserkvy*, in: *Ctenija*, 1871, II, p. 206-222; 1876, IV, p. 373-404, Moskva.
- KRUPNYCKYJ B., *Geschichte der Ukraine*, Leipzig 1939.
- KULCZYNSKI I., *Specimen Ecclesiae Ruthenicae*, Parisiis 1859.
- LAEMMER H., *In Decreta concilii Ruthenorum Zamosciensis animadversiones theologico-canonicae*, Friburgi Brisgoviae 1865.
- LAKOTA H., *Try synody peremyski v XVII - XIX st.*, Peremyśl 1939.
- LIKOWSKI E., *Dzieje Kosciola Unickiego na Litwie i Rusi w XVIII i XIX wieku*, Poznan 1880.
- LIUBIENSKA M. C., *Sprawa dysydencka 1764-1766*, in: *Monografie w zakresie dziejow nowożytynych*, vol. XIII, Warszawa 1911.
- LOTOTSKYJ O., *Suspilne stanovyšče Biloho (switskoho) Duchovenstva na Ukraini i Rosyji v XVIII v.*, in: ZNTS, vol. XXI, p. 1-45, Leopoli 1898.
- LUKASZEWICZ J., *Historia szkół w Koronie i w Wielkiem Księstwie Litewskiem od najdawniejszych czasów aż do roku 1794*, 4 vol., Poznan 1849-51.
- MARTEL A., *La langue polonaise dans les pays ruthènes Ukraine et Russie Blanche*, Lille 1938.
- MEYSZTOWICZ V., *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis*, Vaticani 1944.
- OHIJENKO I., *Ukrajinska kultura*, Katerynoslav-Leipzig 1923.
- ONATSKYJ E., *Studi di storia e di cultura ucraina*, Roma 1939.
- PASTOR L., *Storia dei Papi*, vol. XVI, pars I, Roma 1933.
- PAVLOVIC S., *Opyt istoriji Zamosckaho unijatskaho Provintsijalnaha Sobora (1720 god)*, Grodna 1904.
- PELESZ J., *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, II, Wien 1880.
- PITRA J. B., *Juris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta*, t. I, Romae 1864.
- RAES A., *Le Rituel Ruthène depuis l'Union de Brest*, in: OCP, I, p. 361-392 (1935).
- RAES A., *Le Liturgicon Ruthène depuis l'Union de Brest*, in: OCP, VIII, p. 95-143 (1942)..
- SAVYC A., *Narysy z istoriji kulturnych ruchiv na Vkraini ta Bilorusi v XVI-XVIII v.*, Kyjiv 1929.
- SCHMITT H., *Panowanie Stanisława Augusta*, Leopoli 1868.
- SOLOWIJ M. M., *De reformatione liturgica Heraclii Lisowskyj Archiepiscopi Polocensis (1784-1809)*, in: *Analecta OSBM*, series II, sectio I, vol. II, Romae 1950.
- THEINER A., *Die neuesten Zustaende der katholischen Kirche beider Ritus in Polen und Russland seit Katharina II bis auf unsere Tage*, Augsburg 1841.
- TISSERAND R., *La vie d'un peuple: L'UKRAINE*, Paris 1933.
- TITOV F. J., *Russkaja pravoslavnaja Tserkov v polsko-litovskom hosudarstvje v XVII - XVIII vv.*, 2 vol., Kiev 1905.

- WALISZEWSKI K., *Le roman d'une Impératrice Catherine II de Russie*, Paris 1908.
 VELYKA *Istorija Ukrajiny*, ed. Ivan Tyktor, Leopoli-Vinnipeg 1948.
 ZALESKI S., *Jezuici w Polsce*, t. III, pars II, Lwów 1902.

SIGLA ET ABBREVIATIONES

ANALECTA OSBM	Analecta Ordinis S. Basilii Magni
APF	Archivum S. Congregationis de Propaganda Fide
ASV	Archivum Secretum Vaticanum
AVAK	Akty isdavajemyje Vilenskoju Archeografičeskoju Kommissijeju (-Acta Archeographicae Commissionis Vilnensis).
Arch. Nunz. Vars.	Archivio della Nunziatura di Varsavia
Cong. Gen.	Congregazioni Generali
Cong. Part.	Congregazioni Particolari
Ctenija	Ctenija v imperatorskom Obščestvje istoriji i drevnostej rossijskich pri moscovskom universitetje (Relationes lectae historiae russicae in Universitate Mosquensi).
Decr. Ant.	Decreta Antesyndalia Synodi non habitae
Nunz. Pol.	Nunziatura di Polonia
OCP	Orientalia Christiana Periodica
SPZ	Synodus Provincialis Zamostiana
SPL	Synodus Provincialis Leopoliensis
ZNTS	Zapysky Naukovoho Tovarystva Sevčenko (Analecta Societatis Scientificalae Sevčenko)

INTRODUCTIO

Antequam de ipso obiecto dissertationis nostrae, in eius ambitu historico atque causis sermonem instituamus, lineamenta quaedam generalia de vita Ecclesiae ucrainicae, periodo plerumque post-zamostiana, tradere necessarium ducimus, quae fortasse imaginem vitae expressam omnibusque fere numeris absolutam haud referent, lectori tamen, animo confidimus adiumentum quoddam praestabunt.

De vicissitudinibus politico-ecclesiasticis post Synodum Zamostianam (1720-1770).

1. Metr. Leo Kiszka et Athanasius Szeptyckyj. - 2. Reformatio Religiosorum.
- 3. Basiliani et Clerus saecularis. - 4. Ucraini et Poloni. - 5. Fratres dissidentes.

1. Post felicem celebrationem Synodi Provincialis Zamostianae (a. 1720), Ecclesia ucraino-catholica suum gloriosum incipit cursum aetatem suam auream versus. Normis generalibus atque disciplinae ecclesiasticae firmiter sancitae et a Sancta Sede confirmatae innixa, eam in omnes partes ramosque vitae suae extendere enixe conabatur. Leo Kiszka,¹ Metropolitanus (1714-1728) totius Russiae,² qui Synodum sub praesidentia Nuntii Apostolici et dein Cardinalis Hieronymi Grimaldi convocavit, cuique plane bo-

¹ Cf. S. NEDILSKYJ, *Uniatskij Mytropolyt Lev Kiška i jeho značenie v istoriji Uniji*, Vilna 1894.

² Titulo «Metropolita totius Russiae» ornabantur a s. XIV Archiepiscopi Kiovienses, qui cum Card. Isidoro ab anno 1439 in unione cum Ecclesia Romana permanserunt, donec Kiovia sub dominium Moscoviae a. 1667 venit. Tunc etiam Archiepiscopi Kiovienses schismatici hunc titulum sibi assumpserunt. Metropolitae catholici, qui inter aa. 1596-1805 Ecclesiam Kioviensem dirigebant, hoc titulo iure ornabantur, quem S. Sedes semper agnoscebat. Ipsi enim potestatem suam exercebant in novem dioeceses sui ritus orientalis; Cfr. P. B. GAMS, *Series Episcoporum Ecclesiae Catholicae*, I, p. 362-65, Ratisbonae 1873. Primatum Metropolitanum etiam Religiosi in Congregationes (1617-1743) et in Ordinem (1743-1803) redacti indefesse defendebant auctoritatemque eius agnoscebant. Cfr. D. BLAZEJOWSKYJ, *De potestate Metropolitanarum Kioviensium catholicorum in Clerum regularem*, Romae 1943.

num Ecclesiae suprema lex fuit,³ manum admovit, ut Decreta huius Synodi, quae solummodo post quatuor annos a Sede Apostolica approbata fuerunt,⁴ executioni demandentur.⁵ Morte interceptus, munus hoc successori Athanasio Szeptyckyj (1729-1746) confisus est, cuius temporibus principaliora facta historiae post-zamostianae locum habuerunt. Munere episcopali iam inde ab anno 1714 Leopoli fungebatur,⁶ Decreta Synodalia subscripsit et de eorum executione bona voluntate non deficiebat. Ad Sedem Metropolitanam promotus (1729), de cleri educatione singularem habuit curam eiusque instructionem in Pontificiis Seminariis promovebat,⁷ secundum dispositiones Synodi Zamostianae. Anno 1730-32 Commissionem liturgicam dirigebat, quae sub praesidentia Legati Apostolici, Camilli Merlini, ex membris utriusque ritus composita, revisionem librorum liturgicorum perfecit. Talis revisio, quamvis decursu temporis non plene fuit observata, tamen praescriptionibus synodalibus respondebat.⁸ Libri denuo typis im-

³ « Vir procul dubio ob assiduos in promovenda Unione labores inter illustriores Russiae primates recensendus »: J. KULCZYNSKI, *Specimen Ecclesiae Ruthenicae*, p. 138, Parisiis 1859.

⁴ Acta Synodi, submissa Benedicto PP. XIII, post revisionem ex parte Congregationum de Prop. Fide et Conciliorum, ratihabita Decretis die 5. XII. 1722 et 4. III. 1724, confirmata fuerunt, ab eodem Pontifice Brevi « *Apostolatus Officium* », die 19. VII. 1724. (Cfr. HARASIEWICZ, *Annales Ecclesiae Ruthenae*, p. 480, Leopoli 1862). Confirmationem hanc dein ratam habebant PP. Pius VII (« *In Universalis* », a. 1807), Gregorius XVI (« *Inter Gravissimas* », a. 1832) et Pius IX (« *Omnem Sollicitudinem* », a. 1874), qui ultimus horum Decretorum severissimam observantiam iniunxit, et sanctionibus ecclesiasticis roboravit. Cf. *Acta et Decreta Sacrorum Conciliorum recentiorum*, Collectio Lacensis, t. II, p. 481-83, Friburgi Br. 1870-1893.

⁵ « Nach dem erwuenschten Abschlusse der Zamoscer Provincialsynode und nach Herabblangen der Paepstlichen Bestaetigung weihte der Metropolit Leo Kiszka seine letzten Lebenstage der Sorge fuer die Ausfuehrung der Synodalbeschlusse. Ganz besonders war er fuer die Erziehung des Clerus besorgt »; J. PELESZ, *Geschichte der Union...*, II, p. 472, Wien 1880.

⁶ « Athanasius Szeptycki illustrissimae suae domus decus ac ornamentum, electus est in Metropolitanam anno 1729, retento episcopatu Leopoliensi, quem iam a multis annis pastoralis zelo ornat »; I. KULCZYNSKI, *op. cit.*, p. 138.

⁷ PELESZ, *op. cit.*, II, p. 672.

⁸ « Bezueglich der Kirchenbuecher der katholischen Ruthenen in Galizien ist noch dieses bekannt, dass die Zamoscer Synode unter dem Vorsitze des paepstlichen Nuntius eine specielle Revision derselben angeordnet hat, welche auch in den Jahren 1730-1732 zu Lemberg durch eine eigene vom h. Apostolischen Stuhle aus den Theologen und Sprachkennern beider Ritus unter einem Delegaten der Apostolischen Warschauer Nuntiatur niedergesetzte Commission durchgefuehrt wurde, die alle liturgischen Buecher der Ruthenen genau untersucht, und ihre Drucklegung der Lemberger Stauropigian Druckerei uebertragen hat. Der authentische Akt hierueber wird bis nunzu aufbewahrt » M. MALINOWSKI, *Die Kirchen-und Staats-Satzungen...*, p. 10, Lemberg 1861.

pressi, in eparchia Leopoliensi iam initio anni 1738 praescripti erant.⁹ Generatim libri hi sequebantur usus regionales. De his in capite primo partis historicae agemus. Relationes Athanasii Szeptycky cum Latinis bonae sat erant, etiamsi per plurimae asperitates, quae ex mutatione ritus non infrequenter exsurgebant, sapienter et patienter sublevandae erant.

2. Alia quaestio, quae tunc Hierarchiam ecclesiasticam ucrainicam occupabat cuiusque Metr. Szeptycky praecipuus fuit promotor, erat reformatio Ordinis Patrum Basilianorum. Historice tota quaestio per contactum huius Ordinis, iam paulo post Unionem Berestensem, cum Occidente explicatur, quod et causam remotam reformationis fuisse, nobis videtur.¹⁰

In primo Capitulo Generali Novogrodovicensi, an. 1617 celebrato, Congregatio sub titulo SS. Trinitatis erecta fuit; huic Congregationi tempore succedente accesserunt pars monasteriorum ucrainicorum et omnia fere monasteria alboruthenica (alborussica etiam nominantur), Archimandria Suprasliensi excepta.¹¹ Monasteria vero ucrainica quinque eparchiarum, Leopoliensis nempe, Premisliensis, Chelmensis, Volodimiriensis et Luceorientis non nisi secundo tempore, scilicet tempore Metr. Szeptycky (1739), in Capitulo Generali Leopoli habito, in unam novam, separatam Congregationem, sub nomine Protectionis B. V. Mariae¹² coaluerunt. Sed Sacra Congregatio de Propaganda Fide, in Congregatione Particulari coram Summo Pontifice Benedicto XIV die 1. Maii a. 1742 habita, unionem ambarum Congregationum praecepit.¹³ In Capitulo Dubnensi a. 1743 e duabus Congregationibus duae Provinciae efformatae sunt et unus Protoarchimandrita cum communi Consultorio Generali electus; anno 1744 Benedictus PP. XIV Decretali « Inter Plures » Religiosis ita sub uno Protoarchimandrita unitis titulum « Ordo S. Basilii Magni Ruthenorum » concessit.¹⁴ Notandum est, reformationem Religiosorum peractam fuisse annuentibus Episcopis, qui libere erectioni Congregationum consenserunt et a iurisdictione, quae ipsis vi canonum Concilii Chalcedonensis competebat,¹⁵

⁹ A. AMMANN, *Storia della Chiesa Russa...*, p. 361, Torino 1948.

¹⁰ Iam a. 1617 duo Patres Societatis Jesu partem habebant, ut consilarii, in ipso Capitulo Generali Basilianorum. Cfr. A. GUÉPIN, *Saint Josaphat*, I, p. 181, Poitiers 1874.

¹¹ BLAZEJOWSKY, *op. cit.*, p. 20.

¹² Congregatio SS. Trinitatis haud raro vocatur in fontibus Congregatio Lithuana, Congregatio vero Protectionis B. V. Mariae, Congregatio Polona. Nominations istae proveniebant e divisione politica territorii Metropolis Kioviensis.

¹³ APF, *Cong. Part.*, t. 91, f. 1-44.

¹⁴ *Bullarium Pontificium S. Congr. de Prop. Fide*, t. III, p. 116-129.

¹⁵ Conc. Chalcedonense, can. 4 et 8. Cfr. J. B. PITRA, *Juris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta*, I, p. 524-25, Romae 1864.

monasteria sponte liberarunt, ita ut post annum 1739 nullum monasterium sub iurisdictione Episcoporum remansit, praeter Archimandriam Suprasliensem, quae ipsa cum duobus sibi subiectis Residentiis, Kuznecensi et Varsaviensi, incorporationi restitit, proinde usque ad suppressionem Metropolitae Kioviensis Metropolitano catholico ut Ordinario loci immediate subiecta erat.¹⁶ Ordini huic Basilianorum eodem tempore Metr. Szeptyckyj formationem Cleri saecularis commendat.¹⁷ Non obstantibus quibusdam dissidiis, brevi tempore, ope Nuntii Varsaviensis Fabritii Serbelloni, pax restaurata fuit et Ordo Basilianorum erectioni et directioni scholarum, hac sua aurea periodo, multum adlaborabat¹⁸ seriemque longam eximiorum magistrorum produxit, qui evolutioni ecclesiasticae ac educationi Cleri multum contribuerunt.¹⁹

3. Clerus in duas dividebatur partes, religiosum Ordinis S. Basilii et saecularem.

Quod regimen Basilianorum attinet, desiderabatur forsitan certa ac firma regula; erat enim regimen continuo sese evolvens. Religiosi synthesim quaerebant disciplinae monasticae Orientis et Occidentis.²⁰ Constitutiones Basilianorum tribus vicibus conscriptae fuerunt: prima vice ab ipso Ordinis instauratore, J. Velamin Rutskyj, conscriptae et probatae anno 1686 iam revideri debuerunt, sed approbationem S. Sedis revisio haec nunquam obtinuit; tertia vice demum a. 1791 s.d.« Codex Constitutionum » exaratus fuit, sed nunquam in forma debita probatus. Protoarchimandritae usque ad a. 1742 quoad personas proprias et regimen suberant Metropolitae, postea vero immediate S. Sedi subduntur; initio erant ad vitam, ab a. 1675 eligebantur ad quadriennium, ab a. 1751 vero ad octennium. Quatuor Consultores prius eligebantur ad vitam, ab a. 1743 ad quadriennium et post a. 1751 ad octennium.²¹ Negari tamen non potest Religiosos in Metropolia Kioviensi magnum exercuisse influxum; potentia eorum, defi-

¹⁶ BLAZEJOWSKYJ, *op. cit.*, p. 21.

¹⁷ PELESZ, *op. cit.*, II, p. 480.

¹⁸ Cfr. LUKASZEWICZ J., *Historia szkół w Koronie i w Wielkiem Ksiestwie Litewskiem...*, II-IV, Poznan 1850-1851.

¹⁹ AMMANN, *op. cit.*, p. 359-365; PELESZ, *op. cit.*, II, p. 480-81.

²⁰ Cfr. S. ROMANI, *Institutiones Iuris Canonici*, vol. I, p. 421-422, nn. 831-832, Romae 1941.

²¹ BLAZEJOWSKYJ, *op. cit.*, p. 24-26.

ciente Clero saeculari, ac activitas super totam Metropoliam extendebatur.²² Status autem Cleri saecularis, in hac periodo, praesertim post reformationem Religiosorum peractam, comparative miser fuit ac deplorabilis. Defectus debitae educationis ac mediorum vitae cotidianae non rato abusus et despectus post se trahebant. Deficientibus porro Capitulis Cathedralibus Consistoria bene regulata minime existebant; ordo debitus in regimine eparchiali ac disciplina nullatenus manuteneri valebat.²³ Beneficia parochorum tam inopia fuerunt, ut parochi, numerosiorem habentes familiam, terram pro eorum sustentatione rusticorum modo excolere coacti fuerunt. Gubernium tacebat; nequidem manum admovit, ut minuerentur parochorum angustiae, oppressio Dominorum terrae nec non usura judaeorum, e quorum tabernis (sic disponente ipso Domino) victum et potum, iniusto pretio, sibi comparare coacti fuerunt.²⁴

Hisce in circumstantiis Episcopi pauca tantummodo pro melioratione conditionis Cleri saecularis facere potuerunt. Eorum cura praesertim meliori educationi ac praeparationi vertitur.²⁵ Iam Metr. Szeptyckyj, uti supra innuimus, Basilianis educationem Cleri concedidit, quae tamen ob varia dissidia non tam fructuose et expedite exerceri poterat.²⁶

²² Status Ordinis S. Basilii Magni Abbatia Suprasliensi inclusa a. 1772 erat:

	DOM.	SAC.	CLER.	LAIC.	SUM.
Provincia B. V. Mariae	72	466	73	74	1225
Provincia SS. Trinitatis	72	478	117	17	
Abbatia Suprasliensis	3	20	9	4	33

Eodem anno plura monasteria Metropoliae Kioviensis catholicae sub ditionem Austriae et Moscoviae transierunt, et quidem:

	AD AUSTRIAM					AD MOSCOVIAM				
	D.	S.	C.	L.	S.	D.	S.	C.	L.	S.
Prov. B. V. Mariae	41,	271,	31,	38,	349	—	—	—	—	—
Prov. SS. Trin.	1,	7,	2,	—		20,	107,	45,	1,	153.
Abbatia Suprasl.	—	—	—	—	—	—	—	—	—	—

Reliqua monasteria usque ad 2-dam et 3-tiam partitionem Poloniae sub eiusdem ditione remanserunt. Cfr. ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, vol. 107, f. 2.

²³ HARASIEWICZ, *op. cit.*, p. 522.

²⁴ Cfr. LIKOWSKI, *Dzieje Kościoła Unickiego...*, p. 235-36, Poznań 1880.

²⁵ HARASIEWICZ, *op. cit.*, p. 493-95; MALINOWSKI, *op. cit.*, p. 226; 230-34; PELESZ, *op. cit.*, p. 478-79; LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 226; AMMANN, *op. cit.*, p. 363-65; PETRUSEVYC, *op. cit.*, p. 167.

²⁶ AMMANN, *op. cit.*, p. 362.

Obligationi Clerum saecularem erudiendi Basilianos ob circumstantias temporum, locorum et personarum non ex toto satisfacisse non unico probatur ab auctoribus documento.²⁷ Ipse Clerus non semel S. Sedem in auxilium appellavit.²⁸ In considerationem venit hic expositio iniuriarum conscripta ab eodem Clero saeculari Novogrodeciae, die 12 Januarii 1765, immediate antequam Synodus debuisset celebrari, ubi breviter tota periodus postzamosiana perstringitur.²⁹ Premitur hic defectus visitationis dioecesium, quod revera illo tempore propter difficillimam communicationem plerumque negligebatur.³⁰ Huc faciunt intelligere verba Nuntii: « Il Clero Ruteno è stato lungamente negletto in Polonia. Povero di rendite ecclesiastiche, escluso da quelle principali Dignità, che nella Chiesa sembrano primitivamente dovute al Clero secolare, perchè assorbite le une e le altre dalla potenza del Clero monastico, non è meraviglia, se per lungo tempo è rimasto in uno stato di avvilito ».³¹

Mortuo A. Szeptyckyj (1746) cathedram episcopalem Leopoliensem adeptus est Leo Szeptyckyj (1749), qui cum Episcopo Premysliensi Onufrio Szumlanskyj iterum suas querelas Sedi Apostolicae submiserunt,³² quibusque permotus Benedictus PP. XIV edidit Bullam « *Quae Venerabiles*

²⁷ « Metropolitanus Russiae cum universo Archidioecesis suae saeculari Clero expununt Emin. Vestris humilliter, quod post supressum Ordinis Societatis alumnatus Vilnensis curae Patrum Basilianorum sit traditus non alio fine, quam ut Clerici saeculares debitis ibi instruentur literis qui piæ fundatorum et Sacrae huius Congregationis menti, ac intentioni postea respondeant, ita idem Collegium sub praedicto regimine manendo, non modo bonae spei fructus edere unquam non potuit, quin e contra vehementer iam hodie incipit minari, ne liberales Sanctae Sedis sumptus beneficio Cleri saecularis ad hunc locum destinati invanum, cum defraudatione S. huius Congregationis profundantur, et erogentur inutiliter. Enim vero cum hisce Patribus Basilianis Clerus saecularis tanto odio est, et invidia, ut nullum hodie maiorem hoc sibi aemulum credant, et inimicum, idcirco omne-adhibent modos et ubique quaerunt occasionem, ut huic laquaeros struere possent et nos cere per omnia. » APF, *Scrittura riferite nei Congressi: Moscovia, Polonia, Ruteni*, senza data, f. 143-143v.

²⁸ Scripta, quae taedet omnino referre, plena sunt dolorum et accusationum. Indicamus tantum loca: 1) APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Ruteni*, senza data f. 144-147; *Mosc. Pol. Rut., Relazioni, Miscellanea*, t. I, quaest., XXXIII; HARASIEWICZ, *op. cit.*, p. 522-536, ubi tres habet copias Memorialium porrectarum S. Sedi: duo ex a. 1747 et unum ex a. 1775, quae de usurpatione Ecclesiarum agunt.

²⁹ APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Ruteni*, t. 9, f. 393-394v.

³⁰ « Populus ruralis vix quandoque Episcopum videbat », ita LIKOWSKI, *op. cit.* p. 127.

³¹ APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Rut., Relazioni, Miscellanea*, t. I, quaest., XXVIII.

³² LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 70-71.

Fratres » (14. Augusti 1753), qua serio inculcabatur Episcopis, ut educationi Cleri saecularis praecipuam dent curam, huncque ad dignitates et officia dioecesana premoveant monachosque arceant.³³ Episcopi, exemplo S. Sedis, quae Leopoli Seminarium simileque Vilnae fundavit, animati, fundationes augebant, erigendo Seminarium dioecesana, Clerumque saecularem ad servitia publica applicando.³⁴ Ne deinceps diversa invaderet praxis, S. Congregatio de Prop. Fide in instructione data Nuntio Poloniae die 8 Augusti 1757 similem Bullae Pontificiae notam inseruit.³⁵ Clarescebat veritas in dies! Immo et Gubernium polonicum sub finem suae politicae existientiae (1790) in Diaeta Quadriennali dicta,³⁶ erectionem Seminariorum propriis sumptibus pro Clero ucrainico in eparchiis superstitibus decrevit, etiamsi remedia haec iam non multum iuvare potuerunt, instante dominatione et oppressione moscovitica.

4. Nostrarum denique partium esse ducimus de relatione Ecclesiae Unitae ad Statum polonicum eiusque Ecclesiam latinam pauca disserere.

Unio cum Sede Apostolica repraesentabat pro Statu polonico non leve periculum quoad eius politicam externam.³⁷ Si, Polonis, Ecclesia Unita initio saeculi XVII videbatur superata a societate et conditionibus nefastis medio schismaticorum, secundo dimidio eiusdem saeculi atque magis toto saeculo XVIII apparuit tamquam potentia moralis magni momenti, cuius renovata post Synodum Zamostianam vis crescebat in dies. Oportebat, ut evolutioni huic obices ponerentur. Ad hunc scopum doctrinae contrariae Unioni a quibusdam, cautelis initio et distinctionibus adhibitibus, clam docebantur, dein ab aliis audacioribus palam atque immoderate proponebantur, non sine multorum offensione, praesertim Cleri, nec sine ecclesiasticae auctoritatis detrimento. Uniti pro aris et focus certare debuerunt,

³³ *Magnum Bullarium Romanum*, Benedicti XIV, vol. III, pars 2, p. 116-17.

³⁴ HARASIEWICZ, *op. cit.*, 495.

³⁵ « Circa poi gl'impieghi ed officii delle Curie Vescovili... dovrà Ella procurare, che ciò sia esattamente eseguito; onde si contenterà di rendere consapevoli tutti i Vescovi Ruteni, che quando per qualche impiego delle Curie Vescovili non trovino nei loro rispettive Diocesi persone abili del Clero secolare, prima di conferirlo a soggetti Regolari debbano a Lei ricorrere per aver qualche secolare di altra Diocesi, che da Lei verrà loro suggerito, nel qual caso la S. Congregazione non avrà difficoltà ad ogni suo avviso, di dispensare, che quella possa passare al servizio di Diocesi in altra Diocesi, non ostante il giuramento fatto di servire nella propria Diocesi ». APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, senza data, f. 1.

³⁶ In hac Diaeta, post tot factos recursus, Ecclesia ucrainica unam vocem activam in Senatu obtinuit. Cfr. KALINKA W., *Sejm Czteroletni*, t. II, pars I, p. 393-414, Krakow 1895,

³⁷ AMMANN, *op. cit.*, p. 367.

eo vel magis, quia semper timendum erat, ne quidam, pro sua erga quasvis novitates insita proclivitate, saltem corde suo, vel peius adhuc, privatis colloquiis Unioni Berestensi detractare conaturi sint. Licentia tamen indomita quorundam Polonorum iam incipiebat, ultra fines modosque licitos, Unionem impugnare. Ideae hostiles, quae iam post Unionem pullulabant, fere toto saeculo XVII, inde a saeculi XVIII initio ad affectum deducendae proponebantur.³⁸

In s.d. « Diaeta muta » a. 1717 propositiones factae fuerunt de delenda funditus religione « orthodoxa », nec non Unitorum in provinciis Regno Poloniae subiectis habitantium.³⁹ Quamvis propositio actuata non fuisset, nihilominus actio hostilis, hinc illinc immoderata, remansit. Paritas et aequalitas rituum res erat inaudita apud clerum polonicum; ritus ruthenus erat ritus servorum et rusticorum. Calumniae et continuae suspiciones de schismate familiares in populo evaserunt.⁴⁰ Haec et alia id genus serpere inter Polonos non uno constat documento. Difficultates non parvae pro Ecclesia Unita causabantur ab Episcopis latinis, apud auctores etiam polonos palam proclamatur,⁴¹ qui praesertim iurisdictionem suam super Episcopos unitos extendere conabantur, qua de causa Romam etiam appellabant.⁴²

Ope ac studio horum Episcoporum per duo fere saecula non solum Episcopis unitis, sed etiam ipso Unionis Primati, Metropolitae nempe Kioviensi, aditus et locus in Senatu Regni praeclusus fuit,⁴³ ad rationes suas Unionemque efficaciter defendendam.⁴⁴ Carebant insuper praecedentia respectu simplicis praelati Poloni.⁴⁵ Ad hanc redacti conditionem, miran-

³⁸ Pius PP. IX, non sine ratione, hoc effatum pronuntiavit: « Poloni rei sunt trium capitalium peccatorum: persecutionis Unitorum, divortiorum, et oppressionum subditorum ». Cfr. HARASIEWICZ, *op. cit.*, p. 73-4. Effatum apparuit in lingua polonica, ex qua versio latina. (Vide: CZAS, dodatek miesieczny, rock III, t. X, zeszyt 30, str. 453, Krakow 1858).

³⁹ A. J. TURGENEV, *Supplementum ad Historica Russiae Monumenta*, doc. 81, p. 221 226, Petropoli 1848; ANDRUSIAK, *Projekt zesennia ruzko obrjadu*, in: *Analecta OSBM* t. III, fasc. 3-4, p. 574-81, Leopoli 1930.

⁴⁰ PETRUSEVYC, *Svodnaja Halytsko-russkaja Litopys*, t. I, p. 198-99.

⁴¹ LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 233-35.

⁴² « Hucusque imprudens remonstratio alicujus cupidi in alienam messem falcem immittere! Mirandum certe, quare Domini Latini tanto odio Ruthenos Unitos prosequuntur, disunitos vero ob timorem Moschovitarum in suis erroribus torpescere patiuntur ». Ex *Diario Episcopi M. Ryllo*, t. I, p. 309 ss., vide: PELESZ, II, p. 489 (in nota).

⁴³ LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 233.

⁴⁴ HARASIEWICZ, *op. cit.*, p. 488.

⁴⁵ Episcopus latinus Joannes Skarbek ex dioecesi Leopoliensi (1712-1733) in con-

dum non est plane, si civilium rerum Poloniae cognitionem exactam vix habebant atque iura suae Ecclesiae defendere impares fuerunt.⁴⁶ Praeterea a variis subseliis transitus ad ritum latinum non solum permittebatur, sed promovebatur.⁴⁷ Gubernium hac de re tacebat, immo, saepe saepius, eidem favebat.⁴⁸ Quare dissidia ecclesiastica evaserunt dissidia nationalia, quod non parum conferebat ad confirmandas mentes in schismate orientali persistentium.⁴⁹

In hac tamen lucta, praeter aspectum persecutionis materialis, quae plerumque in villis accidebat, ubi Domini subditos suos catervatim, pro libitu, opprimebant, inveteratus quidam sensus superioritatis religiosae ac culturalis super omnes Unitos, non solum apud laicos, sed etiam apud Clerum polonicum abscondebatur. Sub specie catholicitatis, nulla alia ratione sibi suffragante,⁵⁰ obtenta in foro publico, sinentibus Episcopis unitis, praecedentiae praevalentia, sese ritumque latinum dominantem in Statu considerare coeperunt.⁵¹ Exinde Unio evasit res mere tolerabilis, quae pro arbitrio dominantis vel *supprimi*, vel *mutari* in suo characterere potuit.

Ex hac innata quasi persuasione tota quaestio, quae hisce temporibus maxime vigeat, de transitu nempe ex ritu s. d. rutheno ad latinum quodammodo explicari potest.⁵² Ut magis tamen res pateat, quaedam in memoriam hic revocare opportunum duximus.

gressu Episcoporum Varsaviae habito, non haesitavit praecedentiam Ecclesiae Latinae super Ecclesiam Unitam in Polonia defendere, et inde consequentias practicas in sua dioecesi deducit. Cf. T. DLUGOSZ, *Relacje Arcybiskupów Lwowskich 1595-1794*, Leopoli 1937: relacja Jana Skarbka, arcybiskupa z roku 1731, p. 108-114; Vide insuper ZALESKI S., *Jezuici w Polsce*, t. III, pars 2, p. 545-46.

⁴⁶ « I Vescovi Ruteni non entrano nei consigli, e perciò non possono direttamente sostenere diritti della religione, indirettamente per altro possono far molto con coltivare lo zelo della nobiltà » - Excerpta ex litteris Nuntii Apostolicis de rebus polonicis, A. THEINER, *Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, t. IV, pars 2, p. 95.

⁴⁷ AMMANN, *op. cit.*, p. 367.

⁴⁸ LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 235.

⁴⁹ HARASIEWICZ, *op. cit.*, p. 63-69,

⁵⁰ « Cid che ho detto de' talenti de' Vescovi bisogna intenderlo come relativo ai talenti naturali, poco per altro o nulla coltivati dall'applicazione, giacchè generalmente parlando il Clero polacco è scarsissimo di cognizioni acquistate collo studio, tal che i secolari hanno ragione di non rispettarlo per la dottrina; al che si aggiunge che neppure la condotta è talmente edificante, che possa conciliar loro della venerazione. I regolari altresì sono mal coltivati, in guisa che l'ignoranza vi regna quasi senza eccezione » - Excerpta ex litteris Visconti, THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, 2, p. 97.

⁵¹ AMMANN, *op. cit.*, p. 369.

⁵² Opportunum censemus hic collective quaedam indicare documenta: APF, *Istruzioni*, t. III, f. 301-306 (Informatio S. Congregationis Nuntio Apostolico

Iam Conc. Florentinum personis ecclesiasticis ritum mutare prohibuit, quod et confirmatum fuit a Papa S. Pio V a. 1566, Constitutione sub tit. «*Providentia*». ⁵³ Clemens PP. VIII hanc inhibitionem ad Graecos in dioecibus Episcoporum latinorum degentibus extendere curavit. Expresse quoad Unitos in Polonia, videtur, Urbanus PP. VIII primus exstitisse, qui a. 1624 personis laicis et ecclesiasticis mutare proprium ritum severe interdixit. ⁵⁴ Eius Decretum punctum controversiae fuit, nam illico Rex Poloniae Sigismundus III cum Clero latino Decreto pontificio sese pertinaciter opposuit, quae oppositio in causa erat alterius Decreti (die 7 Iulii 1624), quo inhibitio ad solos ecclesiasticos restringebatur, ⁵⁵ cum admonitione Superiorum Ordinum, ut suis prohibeant Ruthenos ad ritum latinum pertrahendi. ⁵⁶

Querelis in dies crescentibus, a. 1630 S. Congregatio de Prop. Fide « non esse a Decreto alias facto recedendum » ⁵⁷ iterum declaravit, quod tamen Decretum in Polonia toto saeculo XVII vix observabatur, ⁵⁸ non obstantibus instantiis Nuntiorum Sedisque Apostolicae. Imo, initio iam saec. XVIII non solum de transitu, sed etiam hic inde de omnimodo de-

Visconti extradita);

APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Ruteni, Relazioni, Miscellanea*, t. I (versus finem).

Bullae et Constitutiones Pontificiae:

Urbani VIII « *Ad conservandam pacem* » (1624).

Benedicti XIV « *Etsi pastoralis* » (1742).

» « *Demandatam coelitus* » (1743).

» « *Inter plures* » (1744).

» « *Allatae sunt* » (1755).

Auctores: ANTONOVYC, *op. cit.*, p. 147-154; BENEDETTI, *op. cit.*, p. 7-27; HARASIEWICZ, *op. cit.*, disiectim; LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 66-68, 231-32; MALINOWSKI, *op. cit.*, p. 59-187; PELESZ, *op. cit.*, II, p. 481-91; ZALESKI, *op. cit.*, t. III, pars 2, p. 543-52. (Tituli operum ndicantur in Bibliographia).

⁵³ *Magnum Bullarium Romanum*, t. VII, p. 473-75.

⁵⁴ « Ad conservandam pacem et concordiam inter Ruthenos Unitos et ob alias gravissimas causas Sanctissimus in Christo Pater et Dominus Noster Dominus Urbanus divina providentia Papa VIII, de consilio et assensu Fratrum suorum, S.R.E. Cardinalium Congregationis de Propaganda Fide decrevit, ne de cetero Ruthenis Unitis sive Laicis sive Ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus et praesertim Monachis S. Basilii Magni ad latinum ritum quacumque de causa, etiam urgentissima, sine speciali Apostolicae Sedis licentia transire liceat »; apud MALINOWSKI, *op. cit.*, p. 33-34.

⁵⁵ APF, *Scritt., rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Ruteni*, senza data, f. 198-99.

⁵⁶ Scripta ad Confessarios polonos: die 2 Maii 1625, 28 Iulii 1626 et 25 Septembris 1628, APF, *Scritt., rif. nei Congressi: Mosc., Pol., Ruteni: Relazioni, Miscellanea*, t. I.

⁵⁷ IBID., versus finem.

⁵⁸ PETRUSEVYC, *Svodnaja Halytsko-russkaja Li topys*, t. I, p. 188-199.

lectu ritus rutheni disceptabatur.⁵⁹ Nequidem post Synodum Zamostianam res mutatae fuerunt. Constitutio Benedicti XIV « *Inter plures* » (2 Maii 1744) ad monachos directa, in qua eadem regula quoad transitum Melchitis (Constitutio « *Demandatam coelitus* » a. 1743) praescripta monachis Basilianis denuo repetebatur, parvum habebat successum; praescriptiones S. Sedis duram invenerunt oppositionem Aulae Regiae.⁶⁰ Damnum id genus consistebat etiam in divulgatione scriptorum nocivorum ex parte Cleri polonici, quibus contemptui ceremoniae sacrae et ritus Unitorum, perinde ac eius sequaces exponebantur. In scholis publicis latinis iuventutis animi s odium et aversio erga Unitos in genere eorumque ritum instillabantur, atque iuvenes ritus graeci vexabantur, ut relicto proprio ritu ad latinum transirent.⁶¹ Status istius controversiae, paucis moderationibus inductis, immutatus remansit usque ad a. 1755; temporis intervallo non desiderabatur consuetus modus procedendi Polonorum. Etiam Nobiles ucrainici deserebant proprium ritum, quod illo tempore secum ducebat mutationem propriae nationalitatis.⁶² Anno 1745, dolore affecti, conveniunt Episcopi Uniti cum Metropolitanis Szeptyckyj in civitate Dubno, et,

⁵⁹ Inter propositiones ex a. 1717, Actis Varsaviensibus inserendas, haec legimus in proemio: « Si regnorum integritas et securitas in reciproco incolarum fundetur amore, hic autem amor praecipue in *unione fidei* soleat conservari, sequitur, quod nos Poloni volentes in nostro integro et securo manere dominio, *unitatem* fidei in incolis quam efficacissime curare debeamus. Cum vero unitatem hanc in partibus Russiae tam ad regnum Poloniae quam ad magnum ducatum Lithuaniae pertinentibus permaxime in simplici praesertim vulgo destruere videatur *ritus diversitas*, eapropter proceres regni et quivis in individuo Polonus, cupiens integram securamque habere patriam id pro debito suo habere debet, ut ritum graecum ritui latino contrarium qua contemptu, qua persecutionibus, qua contra eundem profitentes vexationibus, qua aliis quibuscumque potest, efficacissimis tollat et abroget modis ».

N. B. Loquebatur de unitate postea de diversitate. Intellige: unitas fidei opponitur dissidentibus, diversitas autem ritus catholicis, ut illi et hi nempe extirparentur. Exemplaria huius secretioris proiecti, quae in archivis Leopoliensis Metropolitae ac Premisliensis dioeceseos, itemque in Stauropigiali et aliis monasteriis fere per saeculum typis non excussa adservabantur, primum apparuerunt in lingua originali polonica in: « Supplementum ad Historica Russiae Monumenta », p. 221-26 (Petropoli 1848), auctore quodam D. Zubryckyj relata, dein factae sunt versiones. Versionem nostram, factam a HARASIEWICZ (p. 71-72), exacte comparavimus cum primo fonte, cum auctore JEKEL (p. 132-34), in lingua germanica, eiusdemque transcriptione apud DABCZANSKI (p. 86-95). Integrum decretum 13 punctis constat, et de eius authenticitate non est dubitandi locus, cum affirmatur a gravibus auctoribus: ANDRUSIAK, ucrainus (p. 574-81); ZALENSKI, polonus (p. 549).

⁶⁰ LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 66.

⁶¹ HARASIEWICZ, *op. cit.*, p. 489.

⁶² « Timendum erat ne Episcopi Uniti sine propriis ovibus remaneant »; ita LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 66.

inter desideria sua per Procuratorem in Urbe S. Sedis resolutioni proposita, transitus prohibitionem instanter petebant.⁶³ Saepe numero monita iterata sunt,⁶⁴ immo et Apostolici Nuntii in Polonia, ex Summorum Pontificum mandato, viribus omnibus contendebant, ut optatum haberent effectum.⁶⁵ Recordari adhuc meretur Breve Benedicti PP. XIV (die 18 Septembris 1751) ad Episcopos ucrainicos dioecesium Premisliensis et Leopoliensis directum, quo Pontifex confitetur se velle conservationem ritus graeci, non vero eius destructionem.⁶⁶ Non desiderabantur illo tempore recursus Hierarchiae ecclesiasticae ac Nuntii Apostolici pro meliorandis conditionibus ad Aulam Regiam.⁶⁷ Laboribus quapropter non intermissis apparuit tandem Constitutio Benedicti XIV « *Allatae sunt* » (26 Julii 1755). Decretum hoc, colligens traditionem Romanorum Pontificum, normativum exstitit pro ritu orientali ac pro sopienda lite, quae tot odiis, animositatibus, scandalis et malis ansam praebuit.⁶⁸ Effectum suum haud dubie sortita est, nam ab illo tempore frequentiores petitiones pro dispensatione transeundi ad alium ritum ad S. Officium dirigebantur.⁶⁹ Voluntas pontificia remansit ius vigens pro tota Ecclesia catholica. In Polonia vero, dum sententiae et interpretationes ex industria Bullae contrariae late vulgarentur,⁷⁰ vestigia maiorum sequebantur. Ante primam adhuc Regni partitionem sequentia scripta Hierarchiae ucrainicae transitum respicientia Romam pervenerunt:

a) Metropolitae Floriani Hrebnyckyj cum septem Episcopis Superioribusque Ordinis S. Basilii Magni, die 5 Aprilis 1762;⁷¹

⁶³ PETRUSEVYC, *Svodnaja Halytsko-russkaja Litopys*, t. I, p. 170.

⁶⁴ Duo scripta ad congregatos in Dubno a. 1745, unum ad Clerum saecularem a. 1748. Cf. MALINOWSKI, *op. cit.*, p. 60, 65.

⁶⁵ Multa emolumenta importavit Nuntius in Polonia Albericus Archinto (1746-1754), qui post suum recessum dignitatem Secretarii Status obtinuit. Cf. L. KARTUNEN, *Les Nonciatures Apostoliques permanentes...*, p. 153, Genève 1912.

⁶⁶ THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, I, p. 142; MALINOWSKI, *op. cit.*, p. 65.

⁶⁷ Litterarum commercium videsis apud MALINOWSKI, *op. cit.*, p. 66-130.

⁶⁸ « Ut omnibus perspecta fiat benevolentia, qua Sedes Apostolica Catholicos Orientales complectitur, dum praecipit, ut omnino serventur veteres ipsorum ritus, qui neque catholicae religioni neque honestati adversantur, nec a schismaticis ad catholicam unitatem redeuntibus exposcit, ut ritus suos deserant; exoptans vehementer, ut diversae eorum nationes conserventur non destruantur, omnesque, ut multa paucis complectamur, catholici sint, non ut Latini fiant ». *Magn. Bull. Rom.*, Benedicti XIV, vol. III, pars 2, doc. 47, p. 272.

⁶⁹ APF, *Scritt., rif. nei Congressi: Mosc., Pol., Rut., Relazioni, Miscellanea*, t. I, versus finem.

⁷⁰ LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 68.

⁷¹ APF, *Scritt., rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Ruteni*, t. 9, f. 242-43.

b) Metr. Feliciani Wolodkowycz cum quatuor Episcopis pariterque Superioribus Basilianis, die 15 Decembris 1762;⁷²

c) Metr. F. Wolodkowycz cum omnibus Episcopis, die 5. Februarii 1765, ad S. Congregationem de Prop. Fide, similesque ad S. Officium;⁷³

d) Nuntii Apostolici Eugenii Visconti ad Card. Spinelli, die 29 Augusti 1764.⁷⁴

Divisione immo Poloniae peracta, abusus non plene extirpatos fuisse probat Decretum S. Congr. de Prop. Fide, die 21 Martii 1774, quod literaliter repetit Urbanianas praescriptiones.⁷⁵

Exinde concludere licet: modus agendi Polonorum reprobatione est dignus. Intra orthodoxiae tamen fines manentes, varia tentata sunt temeraria tentamina, quibus plerumque publica honestas laedebatur ac scopus politicus verae Christi doctrinae et menti Ecclesiae catholicae contrarius fuit.

5. Remanet adhuc nobis, ultimo loco capituli introductorii, de relationibus Ucrainos catholicos inter ac non unitos (= separatos) pauca addere.⁷⁶ In praesenti articulo ad periodum post zamostianam, usque ad annum 1755, restringimur, quo Episcopus non nunitus Georgius Konyskyj Poloniam venit, et usque ad primam divisionem Regni Poloniae (1772) iurium Ecclesiae separatae incolumis exstitit defensor. Actionem eius nocivam pro Ecclesia Catholica, quae sub tempus Synodi Berestensis celebrandae incidit eiusque frustrationi haud leve imposuisse obstaculum, simul cum influxu violento Aulae Petropoliensis in secundo capite partis historicae considerabimus. Tractationem insuper nostram ad Ecclesiam catholicam et separatam in Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae limitamus, relicta Ecclesia nonunita sub ditionibus Moscoviae, ubi notabilis pars populationis moscovitica erat, in genere hostilis cuivis motui politico ac culturali-religioso Ucrainorum. Haec incompatibilitas, quae de cetero in diversitate psychica harum gentium suam ultimam habet radicem,⁷⁷ post insurrectionem Ducis Joannis Mazepa (1708) maiori vi dila-

⁷² IBID., f. 236-39.

⁷³ IBID., f. 398-99v.

⁷⁴ IBID., f. 347 ss.

⁷⁵ APF, *Decreti della S. Congregazione dell'anno 1768-78*, t. 3, f. 264-265v.

⁷⁶ Nomen « schismaticus » plerumque offensivum est, sicut a quibusdam nostris et nomen « unitus » (uniat ucrainice) censetur. Ast hodie nova incipit terminologia adhiberi: Ucraini catholici, Ucraini nonuniti, Fratres separati seu dissidentes (raro disuniti), quam adhibere pro viribus intendimus.

⁷⁷ « Il contadino ucraino - ed è in ciò soprattutto che emerge la sua principale differenza spirituale dal contadino russo - stima moltissimo il valore della personalità, dei

tata fuit usque ad effectum totalis destructionis Status ucrainici annis 1765-80.⁷⁸

Primo dimidio saec. XVIII status Ecclesiae separatae in Regno polono-lituanico generatim debilis fuit. Pace inter Moscoviam et Poloniam a. 1710 firmata, duae dioeceses, Luceoriensis nempe et Mohiloviensis, non unitis erectae fuerunt, quorum paulo post sola Mohiloviensis in Alboruthenia illis remansit, cum Augustus II Rex Poloniae Cyrillum Szumlanskyj, candidatum propositum ab Aula Petropolitana in vacantem Sedem episcopalem Luceoriensem recipere noluisset. Vivente adhuc Petro I eiusque fideli Varaviae intercessore Sylvestro Cetvertynskyj, Episcopo Mohiloviensi, qui pro defensione suae Ecclesiae etiam Romam appellare non haesitavit,⁷⁹ positio Ecclesiae non unitae immutabilis remansit. Solummodo a. 1720 Gubernium polonicum, continuis querimoniis defatigatum duas novas dioeceses erexit, Mstislaviensem nempe et Oršanensem.⁸⁰ Post mortem Episcopi Cetvertynskyj (1728), « S. Synodus Petropoliensis », sui patrocinii memor, nominavit

suoi sforzi individuali, della sua iniziativa creatrice; egli preferisce vivere appartato da tutti e cerca perciò di costruire la sua casa possibilmente fuori del villaggio, magari sul suo campo stesso. Perciò noi vediamo in Ucraina tanti « chutir » (che corrispondono più o meno alle « fazendas » americane o alle fattorie italiane), costruiti in mezzo a spazii immensi, mentre in Russia, al contrario, i « chutir » non erano conosciuti e i contadini preferivano vivere in stretti e sporchi villaggi, i cui componenti di tanto in tanto spartivano tutte le loro terre, eliminando così il principio della proprietà privata, tanto cara al contadino ucraino ». E. ONATSKYJ, *Studi di storia e di cultura ucraina*, p. 6, Roma 1939.

⁷⁸ Ad historiam Ucrainae politico-ecclesiasticam huius periodi consule: ANTONOVYC V., *Narys stanovyšča pravoslavnoji tserkvy na Ukrajinii vid polovyny XVII do kintsia XVIII st.*, in: *Rozvidky pro tserkovni vidnosyny na Ukrajinii-Rusy XVI-XVIII vv.*, vol. VIII, p. 142-45, Leopoli 1900; BARVINSKYJ O., *Illustrovana Istorija Rusy*, Lviv 1890; BONDIOLI R., *Ucraina*, in: *Collana Eurasia di Studi storico-politici*, Roma; BORSCHAK E., *La légende historique de l'Ukraine « Istorija Rusov »*, in: *Collection historique de l'Institut d'Etudes slaves*, XIII, p. 151-164, Paris 1949; DOROSENKO D., *Istorija Ukrajiny*, p. 169-184, Augsburg 1947, et *Narys Istoriji Ukrajiny*, 2 vol., Varsava 1932-33; HRUSEVSKYJ M., *Očerk Istoriji Ukrajinskoho Naroda*, S. Peterburh 1904; *Istorija Ukrajiny-Rusy*, t. VII, Kyjiv 1909, t. VIII, pars I, Kyjiv 1913, t. VIII, pars II, Kyjiv 1922, t. VIII, pars III, Kyjiv 1922; KRUPNYCKYJ B., *Geschichte der Ukraine*, p. 130-222, Leipzig 1939; LOTOTSKYJ O., *Suspilne stanovyšče biloho (svitskoho) duchovenstva na Ukrajinii i Rosyji v XVIII v.*, in: ZNTS t. XXI, annus VII, p. 1-46, Leopoli 1898; OHIJENKO I., *Ukrajinska kultura*, Katerynoslav-Leipzig 1923; ONATSKYJ E., *Studi di storia e di cultura ucraina*, Roma 1939; TISSERAND R., *La vie d'un peuple: l'UKRAINE*, Paris 1933; TITOV F. J., *Russkaja Pravoslavnaja Tserkov v polsko-litovskom hosudarstve v XVII-XVIII vv.*, 2 vol., Kiev 1905; *Velyka istorija Ukrajiny*, editio Ivan Tyktor, Leopoli-Winnipeg 1948.

⁷⁹ PELESZ, *op. cit.*, II, p. 492.

⁸⁰ HARASIEWICZ, *op. cit.*, p. 477.

ei successorem Arsenium Berlo, quem tamen Augustus II, contra voluntatem Petri II, successoris Petri I, non approbavit; inde per duos annos Sedes episcopalis Mohiloviensis vacavit. Post mortem tamen Augusti II (1733) et unum annum interregni, novus Rex Augustus III, favore Russiae electus, accepit Episcopum Josephum Volčanskyj. Educatus Kioviae, in medio « orthodoxiae », Josephus optime suam missionem percepit et iam a. 1739 quaestionem movebat Petropoli de restitutione 114 Ecclesiarum, quas praeteritis annis non uniti in Alboruthenia perdididerunt, dum ipsis adhuc 54 remanserunt.⁸¹ Elenchus hic ecclesiarum probat evolutionem vitae ecclesiasticae Unitorum eorumque post Synodum Zamostianam expansionem. Suam intentionem Josephus Volčanskyj ad finem tamen non perduxit, quia diversis de causis in patriam revocatus fuit. Positio tamen Unitorum peior evasit cum ascensione in thronum Moscoviae tsarinae Elisabeth (1741) et successore cathedrae Mohiloviensi Hieronymo Volčanskyj (1744) dato. Hieronymus bene instructus a fratre suo Josepho, oblitam iam quaestionem de restitutione Ecclesiarum denuo suscitavit, petendo quoque ut Ecclesia non unita formalem ac legitimam existentiam, non dissimilem qua Ucraini et Alborutheni catholici gaudebant, obtineret. Brevi tempore Hieronymo contingit, ut ad suas partes s.d. « Familiam Czartoryski » pertraheret, cuius protectione in Diaeta Grodnae habita (1744) Commissio instituta fuit, coram qua Episcopi Uniti rationem reddere debebant de legitima possessione cuiuscumque eorum ecclesiae.⁸² Periculum imminabat, dum et ipse Rex anceps haerebat. Benedictus PP. XIV eum serio monere de molimine schismaticorum deque tutela iurium Ecclesiae Unitae non omisit.⁸³ Commissio laborem suum initio a. 1746 debebat incipere. Ad maiorem adhuc rerum perturbationem Metr. A. Szeptyckyj, mense Decembri a. 1745, vita functus est, unde incipit lucta de eius successore constituendo. Maioris tunc ponderis et auctoritatis Episcopi Sapieha, membri dictae Commissionis, erat persona, cuius intercessionem Commissio suam activitatem ad electionem novi Metropolitanam distulit. Anno 1748 ad Sedem Metropolitanam Florianus Hrebnyckyj electus fuit, et periculum Commissionis evanuit, cum maior pars eius membrorum, ope Episcopi Sapieha et Nuntii in Polonia, nefandum propositum Moscovitarum cognoverint.⁸⁴ Secunda adhuc vice a. 1750

⁸¹ LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 52-54.

⁸² AMMANN, *op. cit.*, p. 366.

⁸³ Scriptum die 19 Septembris 1744; THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, 1, n. 59, p. 129-130.

⁸⁴ LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 56-63.

Benedictus PP. XIV Regem et Episcopos polonos pro tuendis iuribus Unitorum et pro revocatione Commissionis admonuit.⁸⁵

Post mortem Hieronymi 1754 et fere tota periodo Metr. Hrebnyckyj lucta cum schismaticis sopita est; vixit tunc, uti vidimus, controversia de mutatione ritus, quae multorum oculos ad se convertit.

Conclusio: In prima medietate saec. XVIII, uti patet, Ecclesia separata non magnum impedimentum ecclesiasticae evolutioni Unitorum obicere potuit, ex defectu cuiusdam solidae internae compositionis. Nequidem duo fratres Episcopi Volčanski, eius eximii in hac periodo defensores, victoriam propriis oculis videre potuerunt, quae tandem Episcopo Georgio Konyskyj arridere coepit.

⁸⁵ THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, 1, n. 72, p. 137-38.

PARS I

HISTORIA

PARS PRIMA

SYNODI BERESTENSIS NON CELEBRATÆ HISTORIA

In hac prima parte nostri laboris historico-analyticam expositionem conaminis reformationis liturgicae saeculo XVIII (cap. I), obstaculorum Synodo Brestensi allatorum (cap. II), eiusque frustrationis (cap. III) instituemus.

CAPUT I

DE CONAMINE REFORMATIONIS LITURGICAE

1. Synodus Zamostiana-prodromus evolutionis; libri liturgici et abusus regionales. - 2. Reactio ecclesiastica; merita Benedicti PP. XIV; idea Synodi apud Metr. Hrebnyckij et Wolodkowycz; conamen reformationis Nuntii Garampi et Archiepiscopi Lisowskyj.

Necessitas reformationis liturgicae per totum fere saeculum XVIII profunde sentiebatur. Evolutio ritus medio adhuc saeculo XVII coepta, circa medium saeculum XVIII quasi culmen suum attigit et notabilem confusionem in celebratione Missae ac in Sacramentorum administratione causavit. Longum esset de omnibus hoc loco tractare.¹

Omissis anterioribus, in praesenti capite de periodo postzamostiana tractabimus.

¹ Fusius agunt auctores: BOCIAN J., *De modificationibus in textu slavico liturgiae S. Joannis Chrysostomi apud Ruthenos subintroducitis*, in: *Xrisostomika*, p. 926-969, Romae 908; CHOJNATSKYJ A., *Zapadnorusskaja tserkovnaja unija v jeja bohosluzeniji i obrjadach*, Kiev 1871; MYSKOVSKYJ T., *Naš obrjad i oblatinenije jeho*, Lvov 1913; ODINCOV N., *O bohosluzeniji unijatov v XVII i XVIII vv*, in: *Litovskija Jeparchijatnyja Vjedomosti*, Vilna 1886; KOROLEVSKYJ C., *L'uniatisme*, Prieuré d'Amay sur Meuse 1927; RAES A., *De forma liturgiae slavae: Ruthenae et Russicae*, in: *Acta VII. Conventus Velehradensis*, p. 83-90, Olomouc 1937; IDEM, *Le Rituel Ruthène depuis l'Union de Brest*, in: OCP, I, p. 361-392 (1935); IDEM, *Le Liturgicon Ruthène depuis l'Union de Brest*, in: OCP, VIII, p. 95-143 (1942); PRASZKO J., *De Ecclesia Ruthena Catholica sede metropolitana vacante 1655-1665*, Romae 1944, Appendix: Vicissitudines ritus byzantino - slavici saec. XVII, in: *Ecclesia Ruthena Catholica*, p. 243-308; X, *O obrzedach grecko-unickich*, Lwów 1862.

1. Synodus Zamostiana quaedam de uniformitate liturgica statuit;² continuus tamen transitus fidelium ad ritum latinum, reactio contra non unitos et quaedam separatio ab Oriente schismatico, Ecclesiam ucrainicam magis ac magis influxui ritus latini obnoxiam fecit. Ad totam quaestionem dilucide simul ac logice perspicendam, animadvertendum est, Unionem Berestensem initam fuisse tempore illius magnae reformationis tridentinae, quae maximi erat momenti pro toto orbe christiano. Non est mirum, si neo unitis plurima a Patribus Tridentinis bene constituta arridebant et exemplo erant. Insuper missionarii latini gentium orientalium ad sinum Ecclesiae catholicae conversioni operam navantes, passim *doctrinam* Occidentalium de Liturgia ac de Sacramentis divulgabant. Immo, iuvenes ritus orientalis in Occidente, praecipue Romae, studio vacantes, quibusque cotidie solida Ecclesiae Latinae disciplina et ordo prae oculis erant, non potuerunt, regressi in Patriam, alium modum magis aptum confirmationi Unionis cum Roma invenire, nisi Ecclesiae Occidentalis vitam ac mores imitando. Influxum ergo Occidentis latini verum, immo magnum fuisse, nemo doctus infitias ibit; eumque autem inter Ucrainos catholicos ius civitatis habuisse probant exempla. Exempli gratia, sub tempus revisionis librorum liturgicorum, a. 1730-32, a Metr. A. Szeptyckyj Leopoli facta, ad latus revisorum ritus orientalis pari iure adstabant revisores ritus latini;³ et in primo Capitulo Generali Patrum Basilianorum, Novogrodoviciis a. 1617 celebrato, duo Patres ex Societate Jesu auxilia et consilia praebebant.⁴ Non ergo sine ratione theologi non uniti ad theologiae occidentalis influxum provocare solemne habent, dicentes Synodum Zamostianam plurimas « novitates » induxisse et ita viam « latinizationi » nostri ritus aperuisse.⁵ Non negamus plane quemdam recessum a communi usu ritus byzantini, quem ceteroquin non Synodo sed hominum erga quasvis novitates insitae voluntati adscribi solet,⁶ cum Synodus Zamostiana prae oculis unice habu-

² « Uniformitas Caeremoniarum cum omni modestia, devotione, et gravitate ab omnibus servetur »; SPZ, tit. III, § IV, De celebratione Missarum, p. 73.

« Placuit tamen, ut Missalia, Ritualia, Breviaria, Diurnalia, ac Pontificalia ab Ordinariis approbari non possint, nisi conformia sint editioni, quam Synodus ipsa fieri iusserit, et Sancta Sedes probaverit ». SPZ, tit. I, De Fide Catholica, p. 58.

³ AMMANN, *op. cit.*, p. 361; MALINOWSKI, *op. cit.*, p. 10.

⁴ A. GUÈPIN, *Saint Josaphat*, I, p. 181, Poitiers 1874.

⁵ G. CHRUSTSEVIC, *Istorija Zamojskaho Sobora* (1720 goda), Vilna 1880; S. K. PAVLOVIC, *Opyt istoriji Zamosckaho unijatskaho Provintsijalnahi Sobora* (1720 goda), Grodna 1904; J. O. KRACKOVSKYJ, *Očerki Unijatskoj Tserkvy*, in: *Ctenija*, 1871, II, p. 206-222, 1876, IV, p. 373-404, Moskva.

⁶ « Ce fait n'est pas particulier aux Ruthènes: toutes les communautés chrétiennes

erit: a) *uniformitatem liturgicam* iam a conclusione Unionis desideratam,⁷ quae ex plurimis decretis facile apparet, et b) *maioress progressum in fide catholica*.

Ad utrumque scopum assequendum Patres Synodi plura dixerunt quidem nova, tamen nova introducere abhorruerunt.⁸ Imo, professi sunt se velle tueri omnia, quae a maioribus instituta fuerunt ac tradita inque Orientali Ecclesia servata, quam protestationem non semel in paginis Decretorum invenimus.

a) *Uniformitatem liturgicam* quod attinet, ad confusionem nempe in celebrandis sacris Officiis tollendam praecepit Synodus, ut typica librorum liturgicorum editio a Metropolitano conficeretur et, approbatione a S. Sede impetrata, imprimeretur.⁹ Alias editiones, quae a supramemorata distarent, Synodus locorum Ordinariis approbare vetuit.¹⁰ Quo pacto Synodus uniformitatem diu desideratam non vero mutationem in campo liturgico¹¹ introducere et innovationes temere irrepsas excludere voluit.

b) *Maiori progressui in fide catholica*, vel melius evolutioni ritus viam pandens, commendat Synodus sacerdotibus Missam s. d. lectam,¹² in

qui ont conclu l'Union avec Rome dans les temps modernes, ont subi l'influence occidentale dans la liturgie, comme dans d'autres domaines religieux »; A. RAES, *Le liturgicon Ruthène depuis l'Union de Brest*, in: OCP, VIII, p. 131, Roma 1942.

⁷ « L'Union s'affermir rapidement dans les diocèses de Przemysl, de Lwow et de Lutsk, mais leur intégration dans la province ecclésiastique ruthène catholique ne fit que mieux ressortir les divergences dans les usages liturgiques ou la discipline existant dans les différentes régions et la nécessité d'une unification ». Ita CHARLES DE CLERCQ, *Histoire des Conciles*, XI, p. 159; quoad diversitates rituales consulè: RAES A., *Le Rituel Ruthène depuis l'Union de Brest*, in: OCP, t. I, 1935, p. 361-392 et le *Liturgicon Ruthène depuis l'Union de Brest*, ibid., t. VIII, 1942, p. 102-105.

⁸ « Caeremoniae in eiusdem Sacramenti (=Baptismi) administratione nullae adhibeantur, praeter eas, quae a maioribus nostris institutae, nobisque traditae, in Orientali Ecclesia servatae fuerunt, ac in novo Rituali edendo exprimentur, reliquas temere introductas, et in Ritualibus quibusdam forsitan scriptas, aut impressas praesens Synodus reiiciendas omnino esse decernit »; SPZ, tit. III, § 1, De Baptismo, p. 63.

⁹ « Ne ulla in Divinorum peragendorum ordine sit confusio, aut discordia ..., praecipit (= S. Synodus), ut uno, eodemque Rituali, nihil ei addendo, nec quidquam ex eo detrahendo Ecclesiae nostri Ritui utantur. Id autem Rituale Illustrissimus Metropolitanus componi, et a Sancta Sede approbatum imprimi, ac distribui aequo pretio pro suo pastoralis studio curabit ». SPZ, tit. III, De Sacramentis, eorumque administratione, p. 61-62.

¹⁰ SPZ, tit. I, De Fide Catholica, p. 58.

¹¹ « En ce qui concerne la liturgie, celui-ci affirma plusieurs fois que le rite propre aux Ruthènes est le rite grec »; RAES, *Le Liturgicon Ruthène...*, op. cit., p. 102.

¹² « Uniformitas Caeremoniarum ..., ab omnibus servetur tam in Missis cantatis, quam lectis, quarum frequens usus omnibus Sacerdotibus commendatur ». SPZ, tit. II, § IV, De celebratione Missarum, p. 73.

Orientali Ecclesia hucusque ignotam et in ritu byzantinoslavo post Unionem, Berestensem, tempore scilicet Metr. Cypriani II Zochovskij, introductam. Ante illud tempus ubique Missae cantatae in usu fuerunt, quae sua amplitudine ac cantoris exigentia non parvam difficultatem, si cotidie decantarentur, parochi et populo praebebant.¹³ Qua de causa non raro ecclesiae, deficiente cantore et populi praesentia, per totam hebdomadam clausae remanebant. Laudabilem fuisse hanc Synodi licentiam nemo non videt, cum et temporibus posthabitis mirabili modo practicatam fuisse, atque, evolutionem suam in dies semper crescentem passa, promeruit approbationem etiam Synodi Provincialis Leopoliensis.¹⁴ Ex aliis « novitatibus » ad campum liturgicum pertinentibus enumerare liceat Baptismum, in cuius forma, ne Personas distinguendo essentiae aliqua Trinitas admittatur, verbum *Amen* post unamquamque Personam prolatum prohibet Synodus, sicut et communionem infantium Christi sanguine post Baptismum collatum.¹⁵ Cultum pariter Sacramenti Altaris, qui in Oriente loco venerationis imaginum cedebat, renovat, particulasque panis, quae ponuntur circa hostiam maiorem Sacerdotis in honorem Deiparae aliorumque Sanctorum consecrandas esse decernit,¹⁶ et abusum abhorrendum consecrandi maiorem hostiam feria quinta Coenae Domini, eamque sanguine Dominico imbuendi et conservandi per totum annum pro infirmis, omnino respuit. Lampades denique perpetuo ardentes introducit.¹⁷ In S. Missae celebratione usum spongiarum ad abstergendam patenam abrogavit, ditoque, prout in Ecclesia latina, patenam abstergi iubet. Hoc comma veram latinizationem sapit, tamen in quibusdam nostris regionibus, ubi spongiae carent debita praeparatione, periculo non levi exponitur Corpus Christi. Propter non dissi-

¹³ ЛІКОВСЬКІ, *op. cit.*, p. 37, in nota.

¹⁴ « Exemplar, textus ordinis et modi celebrandi S. Liturgiam SS. PP. Basilii M. et Joannis Chrysostomi *cantatam et lectam*, a Synodo Provinciali Leopoliensi anno 1891 habita, approbatur »; SPL, tit. V, De Sacra Liturgia, p. 78;

« In ipsa autem Missa observent exacte rubricas concinnatas a Leopoliensi Commissione... ita ut, praeter Prothesin, *Missae lecta* duret circiter dimidiam horam nec superet tres horae quadrantes ». SPL, tit. IV, cap. I, De Sacrificio Missae n. 10, p. 39.

¹⁵ SPZ, tit. III, § 1, De Baptismo, p. 62-66.

¹⁶ Particulas istas non esse consecrandas lungo tempore existimabant Theologi Orientales (Symeon Thessalonicensis, Gabriel Severus, Pavlov). In Missali publicato a. 1692 a Cypriano Zochovskij, Kioviensi Metropolitano, consecratio expresse praescribitur. Admodum pauci Episcopi et Theologi Uniti contradixerunt. Cf. J. BOCIAN, *De modificationibus in textu slavico liturgiae S. Joannis Chrysostomi apud Ruthenos subintroductis*, in: KRISOSTOMIKA, p. 953; J. HANSENS, *Institutiones Liturgicae de Ritibus Orientalibus*, II, p. 200-206, Romae 1930.

¹⁷ SPZ, tit. III, § III, De Eucharistia, p. 68-70.

milem rationem vetat infusionem aquae tepidae in calicem cum speciebus consecratis,¹⁸ qui usus apud dissidentes adhuc hodie viget. Genuflexiones, vel capitis inclinationes dum transferatur panis oblationis a minori ad maius Altare pro consecratione tempore Magni Introitus pro inutilibus censet ac vitandis, cum idolatriae ansam praebeant.¹⁹ Sacramentum Poenitentiae demum adeo necessarium esse intellexit S. Synodus, ut jejunium triduanum eidem Sacramento praemittendum et satisfactionem in Nomo-Canone praescriptam, quae quamvis gravissima sit et pro publicis dumtaxat peccatis instituta, tamen a confessariis passim solebat iniurgi poenitentibus censuit pro praxi abrogandam, ne fideles corporis castigatione deterriti ab hoc Sacramento suscipiendo abstineant.²⁰ Septem denique sacerdotes ad Sacramentum Extremae Unctionis administrandum si haberi commode non possint, unus, qui totius Ecclesiae personam gerit, illud conferat ac ministret.²¹ Ad sinceram membrorum cum Capite coniunctionem ac fidem catholicam demonstrandam praecepit additionem particulae « Filioque » in Symbolo Fidei atque commemorationem Romani Pontificis tempore Sacrificii in translatione oblatores,²² quae commemoratio propter usum Missalium dissidentium, ex defectu propriae editionis, in multis Ecclesiis oblivioni tradita fuit.²³

Haec sunt puncta principaliora totius controversiae liturgicae. Multa eorum Occidentem sapiunt, quisque videre potest, praesertim si agatur de Missae celebratione.²⁴ His non obstantibus Decreta Synodi cum novis elementis introductis approbationem pontificiam obtinuerunt et hoc pacto ius in liturgia orientali adepta sunt. Sed quaestio exurgit: estne mutata ergo liturgia byzantino-slava in sua essentiali constitutione? cessavitne fieri orientalis additionem passa elementorum occidentalium? Respondet sapienter A. Raes: « Ces facteurs agirent sur la liturgie des Ruthènes comme sur celle d'autres chrétientés orientales. Mais n'exagérons rien. Les Ruthènes

¹⁸ De usu aquae fervidae et spongiarum cf. J. GOAR, *Euchologion sive Rituale Graecorum*, p. 127, 129, Venetiis 1730. Hanc tendentiam retrogressivam Euchologium Benedicti XIV plerumque retinet.

¹⁹ SPZ, tit. III, § IV, De celebratione Missarum, p. 73.

²⁰ SPZ, tit. III, § V, De Poenitentia, p. 75-76.

²¹ SPZ, tit. III, § VI, De Extrema Unctione, p. 74.

²² SPZ, tit. I, De Fide Catholica, p. 55.

²³ LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 37.

²⁴ « Anche la liturgia orientale nel suo aspetto esteriore si avvicinò sempre più alla Messa latina. Anzi tali usi liturgici tolti a prestito dall'Occidente divennero una vera e propria caratteristica degli Uniti, che distinguevano così il proprio rito da quello degli Scismatici ». AMMAN, *op. cit.*, p. 360.

ont toujours prétendu conserver leur rite oriental; au Synode de Zamosc ils le proclamèrent hautement; dans le texte des prières et dans les autres formules de la divine liturgie, ils n'ont rien modifié; ils ont maintenu leur langue, leur chant; mais, dans la manière extérieure de se comporter, le prêtre, célébrant la messe basse, chercha à imiter les gestes et les mouvements du prêtre latin, et il était porté à faire disparaître les différences trop frappantes, surtout quand il célébrait la divine liturgie à un autel latéral, sans iconostase ».²⁵ Notandum est pariter in approbatione Decretorum synodalium non levem difficultatem passa est Sedes Apostolica. Omnia tamen retinens, quae a Patribus Concilii statuta fuerunt eorumque mentem premens, Benedictus XIII in Bulla « *Apostolatus Officium* » nihil derogare voluit antiquis constitutionibus, neque innovare ritum graecum; suam videlicet approbationem unice dedit pro Ruthenis in eorum respectiva provincia ecclesiastica,²⁶ cum ipsi sponte, mutationibus in Synodo introductis, eam rogaverint. Retinendo ritum orientalem absque timore facile acceptarunt principia disciplinae Ecclesiae latinae, — non ut latinae, at ut catholicae, — praesertim illis in rebus, quae ordini magis favent. Et ita spiritum suum nativum, quod magis in Synodo Leopoliensi (1891) sublineatur, Synodus Zamostiana in saecula conservavit. Eius applicationes²⁷ brevi tempore habebant suum partialem successum.²⁸ Iam a. 1724 Rituale et Missale dabatur ad revisionem Commissioni liturgicae.²⁹ Post sex annos Metr. Szeptyckyj revisionem completam librorum liturgicorum perfecit,³⁰ quae revisio uniformitatem pro scopo habens, novis editionibus factis, de cetero non carebat effectu in hac provincia ecclesiastica.³¹ Non minoris momenti invenerunt

²⁵ A. RAES, *Le Liturgicon Ruthène...*, *op. cit.*, p. 132.

²⁶ « La réserve formulée par le Saint-Siège se borne à préciser que ces décisions ont été approuvées pour les seuls Ruthènes de la province ecclésiastique de Kiev et ne constituent pas un exemple ou un précédent à suivre dans les autres Eglises orientales », CHARLES DE CLERCQ, *Histoire des Conciles*, XI, p. 181.

²⁷ *IBID.*, p. 181-86 (L'application du concile de Zamosc).

²⁸ « Die Zamoscer Synode hat der weiteren Entwicklung und Consolidierung der Union sichere Bahnen verzeichnet, und die wichtige Aufgabe der Bischoefe der Kiewo-Haliczer Kirchenprovinz bestand nun darin, dass diese Synodalbeschluesse ins Leben gerufen werden. Nach langen blutigen Leiden haben sich dazumal auch die aeußeren Zustände und Verhältnisse der katholischen Ruthenen guentiger gestaltet, und es hatte den Anschein, dass fuer diese schwer gepruefte Kirchenprovinz endlich eine Friedens-aera begonnen hat ». PELESZ, *op. cit.*, n. II, p. 470.

²⁹ RAES, *Le Liturgicon Ruthène...*, *op. cit.*, p. 104.

³⁰ « Il Metropolita fece ristampare i libri riveduti dalla commissione e ne prescrisse l'uso per il suo vescovado a partire dal 3 Maggio 1738 »; AMMANN, *op. cit.*, p. 361.

³¹ MALINOWSKI, *op. cit.*, p. 10.

suas applicationes Decreta synodalia in dioecesi Premisliensi, ubi a. 1740 sub praesidentia Episcopi Hieronymi Ustryckij (1715-1746) Synodus dioeciesana celebrata fuit, in qua Decreta Zamostiana iterum ad vitam revocabantur.³² In eadem linea recensendus est Congressus habitus Valaviae a. 1756, sub Episcopo Onufrio Szumlanskyj (1746-1762). Etiam reformationem religiosam monachorum sub uno Protoarchimandrita (1742-43) ad scopum, saltem partialem, uniformitatis liturgicae factam fuisse deducere licet.

Uniformitas tamen liturgica, tam desiderata a Synodo Zamostiana, carebat suo pleno ac integro effectu.³³ Iniunctam a Synodo librorum liturgicorum uniformem editionem³⁴ nemo Metropolitanarum Kioiviensium decursu s. XVIII in paxim deducere valuit.³⁵ Editiones quae apparuerunt Suprasliae (1733, 1758, 1763), Unioviae (1733, 1740, 1747), Počajoviae (1734, 1744, 1755, 1765, 1778, 1780, 1788, 1791) et Leopoli (1759, 1780) differebant inter se et nulla earum secundum normam Synodi confecta fuit.³⁶ Nequidem editio, quae revisa fuit sub Metr. A. Szeptyckij a. 1730-32, ubique observabatur, sive ex habitudine ad antiquas caeremoniarum rubricas, sive ex inaffectedata ignorantia cleri.³⁷ Praescriptiones vero non observabantur ex despectu vel ex contemptu aegre quis concipiet; ad verum proprius accedet quis dixerit Ucrainos ex Galicia devotius, quam Ucraini ex Volhynia et Alborutheni traditioni adhaesisse ac rubricas liturgicas ab antiquo traditas accuratius servasse. Etiam tardiva Unio dioecesium Leopoliensis et Premisliensis, sub finem s. XVII (1692-1700), quas plerumque Ucraini-Galiciani incolabant, non

³² H. ЛАКОТА, *Try synody peremyski v. XVII-XVIII st.*, p. 27-63, Peremysl 1939.

³³ « Decision importante, mais qui n'eut pas d'effet », ita RAES, *Le Liturgicon Ruthène...*, *op. cit.*, p. 104.

³⁴ « Placuit tamen, ut Missalia, Ritualia, Breviaria, Diurnalia, ac Pontificalia ab Ordinariis approbari non possint, nisi conformia sint editioni, quam Synodus ipsa fieri iusserit, et Sancta Sedes probaverit ». SPZ, tit. I, De Fide Catholica, p. 58.

³⁵ SOŁOWIJ M. M., *De reformatione liturgica Heraclii Lisowskyj Archiepiscopi Polocensis*, in: *Analecta OSBM*, series II, sectio I, vol. II, p. 14, Romae 1950.

³⁶ « Libri liturgici non solum sine praevia approbatione Sedis Apostolicae, sed nunquam etiam sine consensu Episcoporum edebantur. Porro variae editiones liturgicae nullo principio universali et constanti regebantur, sed saepe omnino ab arbitrio editorum dependebant ». Ita SOŁOWIJ, *ibid.*, p. 14.

³⁷ Die so revidirten Buecher wurden bald darauf in den Druckereien von Lemberg und Poczajow gedruckt, und zum Gebrauche in der ganzen Kirchenprovinz eingefuehrt. Es handelte sich nun nur darum, dass die revidirten Buecher ueberall in Gebrauch eingefuehrt, und dass die in ihnen enthaltenen liturgischen Vorschriften ueberall gewissenhaft befolgt werden. Das ist aber leider nicht ueberall der Fall gewesen »; PELESZ, *op. cit.*, II, p. 934.

minoris ad rem nostram explicandam videtur esse ponderis. Generatim ergo sequebantur varios usus liturgicos regionales, qui in vastis partibus ecclesiasticae provinciae observari solebant.³⁸ Ex defectu, porro, typicae librorum editionis via ad uniformitatem praeclosa fuit et paulatim magna difformitas exorta est, quae non parvos secumferebat abusus. Dum ex parte Hierarchiae, quae, tot domesticarum rerum angustiis afflicta, debitam curam de ordinatione disciplinae liturgicae negligebatur, variae consuetudines ex arbitrio privatorum hominum illegitime ritum invasae sunt. Caeremoniae in S. Missae celebratione et in Sacramentorum administratione periculo corruptelae expositae fuerunt, quo pacto modificari, mutari et ad normam rubricarum et caeremoniarum ritus latini conformari coeperunt. Anno 1754 Romae apparuit Euchologion pro Orientalibus, in quo multi normam obligantem ritus byzantino-slavi viderunt.³⁹ Ad eum observandum facta est fortissima excitatio a Benedicto PP.XIV ad omnes Orientales graeci ritus,⁴⁰ quae tamen, videtur, non fuisse praescriptiva,⁴¹ sed solum exhortativa.

2. Contra talem rituum confusionem ac difformitatem, quae circa medium saeculum XVIII in Ecclesiam ucrainicam irrepserunt, exurgit reactio quaedam atque conamen reformationis iam initio secundae medietatis eiusdem saeculi. Ecclesiam Ucraino-Ruthenam tunc Metr. Florianus Hrebnyckyj (1748-1762), vir magnae eruditionis et zelo apostolico praestantissimus regebat.⁴² Iam ab a. 1720 Cathedram archiepiscopalem Poloncensem obtinebat et Decreta synodalia in vitam introducere conabatur. Post mortem A. Szeptyckyj (1746), Augustus III, Rex Poloniae, sub influxu partis politicae, «Familiae Czartoryski» dictae, nominavit ad Cathedram metropolitanam

³⁸ Duas potissimum regiones rerum periti distinguunt:

1) regionem lithuano-alboruthenicam, in qua evolutio rituum post Unionem maiores progressus fecit, et

2) regionem ucraino-galicianam (dioeceses Leopoliensis, Peremisliensis et pars Luceoriensis), in qua antiqua rituum observantia fidelius observabatur.

³⁹ Cf. RAES, *Le Liturgicon Ruthène...*, op., cit., p. 106.

⁴⁰ « Illud Nobis propositum nunc est, ut Vos, Ve n. Frates, Dilectosque Filios, certiores faciamus, absolutum iam esse opus correctionis graeci Euchologii..., ideoque Vos hortemur, ut hoc potissimum in sacris actionibus adhibeatis, sepositis aliis, quae variis erroribus satis superque infecta deprehenduntur». *Bull. Pont. S. Congregationis de Prop. Fide*, t. III, p. 389-390, Romae 1840.

⁴¹ « Nella bolla d'accompagnamento non era a dir vero prescritto che esso avesse vigore per tutte le chiese di rito bizantino; tuttavia molti Ruteni videro in esso la norma obbligante anche per la loro chiesa». AMMANN, op. cit., p. 361.

⁴² Vide biographiam eius apud: LIKOWSKI, op. cit., p. 60 ss.; PELESZ, op. cit., II, p. 495-99.

Episcopum Luceoriensem Theodosium Rudnyckyj, qui tamen oppositionem statim nactus est Basilianorum, qui ad suas pertraxerunt partes Episcopum latinum Sapiuha, diversasque querelas de usurpatione eorum privilegii praesentandi candidatos ad Sedem metropolitanam Romae moverunt. Instantiae eorum, quibus mox Nuntius adstipulatus est, praevaluerunt, et Augustus III, post longas haesitationes F. Hrebnyckyj (5.I.1748), nominavit qui paulo post et approbationem pontificiam obtinuit.⁴³

Cum Basilianis Hrebnyckyj generatim bonas retinuit⁴⁴ relationes, immo et lites cum dissidentibus in favorem Unitorum semper magis magisque solvabantur. Qua de causa H. Volczanskyj, Episcopus non unitus, continuas querimonias Petropolim mittebat, cum iurisdictione eius in dies declinasset. Post eius mortem (1754) Metr. Hrebnyckyj, ad privilegium Sigismundi III ex a. 1619 provocando, suam iurisdictionem super dioecesim Mohiloviensem extendere conabatur et hac de causa Romam appellavit.⁴⁵ Benedictus PP. XIV anno sequenti, in epistula ad Regem data, huic petitioni annuebat, rogavitque eum ut, cognito religioni catholicae nocivo influxu schismaticorum, iurisdictionem super totam⁴⁶ dioecesim vacantem Mohiloviensem Metropolitano catholico cederet; tamen Augustus III persuasionibus pontificiis obtemperari recusavit. Sub tempus quoque Metr. Hrebnyckyj famosa quaestio de mutatione ritus ac de efferata audacia Polonorum vindicandi sibi suprematiam et praeventiam super Clerum ucrainicum excitata fuit.⁴⁷ Hac in re Fl. Hrebnyckyj differebat a suo praedecessore et luctam apertam inivit cum Polonis, praesertim cum Societate Jesu.⁴⁸ Ex supra dictis quis coniciere posset, quomodo Ecclesia Unita, cuius auctoritas et fundamentum cotidie a vicinis et longinguis concutiebantur, ex immensa malorum congerie, quae ex omni parte ei manarunt, bonam frugem colligere vix valuerit? Unice Sancta Sedes Apostolica, historia teste, rebus negotiisque Unitorum semper securum erat refugium. Etiam hisce calamitosis temporibus Benedictus XIV, initio secundi dimidii s. XVIII, de invecta praxi Polonorum tradu-

⁴³ AMMANN, *op. cit.*, p. 368-69.

⁴⁴ PELESZ, *op. cit.*, II, p. 498-99.

⁴⁵ BANTYS-KAMENSKI N., *Istoričeskoje izvjestije o voznikžej v Polše Uniji*, p. 289-292, Vilnae 1866.

⁴⁶ *Acta Benedicti XIV...*, collectio RAPHAELIS de MARTINIS, vol. II, p. 222-24, doc. CCCXXIV (Epist. de die 7. Februarii 1755).

⁴⁷ AMMANN, *op. cit.*, p. 366-67.

⁴⁸ PELESZ, *op. cit.*, II, p. 499.

lendi ad ritum latinum,⁴⁹ optima quaeque praestitit. Activitas huius magni Pontificis ac opera pro tuendis iuribus Ecclesiae Unitae breviter hic memorari iuvat. Ab ipso initio eius pontificatus usque ad mortem (1740-1758) documenta respicientia Orientem slavum copiosa exstant,⁵⁰ quae eius curae ac profundae inclinationis versus Ecclesiam Unitam optima sunt testimonia.

Eam imprimis voluit habere:

A. *interne firmam ac solide compactam:*

a) a. 1744 Decretali « *Inter plures* » reformationem Religiosorum confirmat⁵¹ et a. 1756 eos in cura animarum Episcopis subiecit;⁵²

b) a. 1748 Metropolitanum designari absque Regis consensu decrevit,⁵³

c) a. 1756 Decretali « *Super familiam* » iura Metropolitanani et Protoarchimandritae accurate determinavit.⁵⁴

B. *a dissidentium molitionibus liberam ac tutam:*

a) a. 1744 Regi Poloniae Federico Augusto tutelam Unitorum enixe commendat, rogando eum, ut Moschorum Imperatricis postulatis obsistat templaque Unitorum ne restituat;⁵⁵

b) a. 1750 iterate monuit Regem, Primatem et Episcopos, ut iura Ecclesiae Unitae contra dissidentium molitiones tueri velint; Commissariorum deputationem pro restituendis Ecclesiis, aut revocent, aut ad executionem pervenire non sinant;⁵⁶

c) a. 1755 Regem Poloniae rogat, ut arrepta vacantis Ecclesiae Mohiloviensis occasione, Decretum Sigismundi III, quo dicta Ecclesia Archiepiscopo Polocensi ritus uniti fuit adscripta, ad pristinum robur restituere

⁴⁹ « Ut omnibus perspecta fiat benevolentia, qua Sedes Apostolica Catholicos Orientales complectitur..., exoptans vehementer, ut diversae eorum nationes non destruantur, omnesque, ut multa paucis complectamur, catholici sint, non ut omnes Latini fiant»; ex Bulla « *Allatae sunt* » (1755); *Magnum Bullarium Romanum*, Benedicti XIV, vol. III/2, doc. 47, p. 272.

⁵⁰ Quaedam videbis apud: PASTOR L., *Storia dei Papi*, vol. XVI/1, p. 304-306, Roma 1933.

⁵¹ *Bullarium Pont. S. Congr. de Prop. Fide*, t. III, p. 116-129 (Romae 1840), vel DE MARTINIS, *Iuris Pontificii...*, pars I, vol. III, p. 143-51.

⁵² *Codificazione Canonica Orientale*, Fonti, Fasc. XI, Ius particulare Ruthenorum, p. 43-45, Vaticani 1933.

⁵³ *Acta Benedicti XIV...*, collectio DE MARTINIS, vol. I, p. 510, vel *Iuris Pontificii...*, pars I, vol. III, doc. XCVIII, p. 371-72.

⁵⁴ *Bullarium Pont. S. Congr. de Prop. Fide*, t. III, p. 438-42.

⁵⁵ THEINER, *Vetera Monumenta Poloniae...*, IV, I, p. 129-30, nr. 59.

⁵⁶ *IBID.*, p. 137-138, nr. 72.

nitatur, minime pactis inter Federicum Augustum et Petrum I Moschorum dominum initis obstantibus.⁵⁷

C. *in proprio ritu permanentem:*

a) a.1751 Decretali « *Etsi persuasam* » Monachis Basilianis observantiam ritus custodire iniungit;⁵⁸

b) eodem anno in Brevi ad Episcopos Leopoliensis et Premisliensis dioecesis se velle conservationem ritus graeci, non eius destructionem, aperte confitetur;⁵⁹

c) anno denique 1755 in Bulla « *Allatae sunt* » exoptat vehementer, ut diversae nationes conserventur, omnesque catholici sint, non Latini fiant.⁶⁰

D. *in cura pastorali ac regimine dioecesano Clero saeculari instructam:*

a) a.1753, per Breve « *Commedatissimum studium* », novos alumnatus in Seminario Vilmensi, a Papa Gregorio XIII fundato, Ruthenis vindicavit;⁶¹

b) eodem anno Bulla « *Quae, Venerabiles Fratres* » Episcopos serio monet, ut educationi Cleri saecularis praecipuam curam habeant, eumque ad dignitates ecclesiasticas promoveant;⁶²

c) a.1757 S. Congregatio de Prop. Fide instructionem consonam Bullae « *Quae, Venerabiles Fratres* » Nuntio Poloniae extradidit.⁶³

Laudem sibi Benedictus PP. XIV⁶⁴ etiam aliis gestis promeruit: a.1742 cathedram linguae slavo-ecclesiasticae in Collegio Urbaniano erexit;⁶⁵ satis insuper sese sensit instructum de intestinis discordiis liturgicis ac abusi-

⁵⁷ *Acta Benedicti XIV...*, coll. DE MARTINIS, vol. II, doc. CCCXXIV, p. 222-24.

⁵⁸ *Bullarium Pont. S. Congr. de Prop. Fide*, t. III, p. 273-75, vel *Codificazione Orientale...*, fascicolo XI, p. 49-51.

⁵⁹ THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, I, p. 142.

⁶⁰ *Magnum Bullarium Romanum*, Benedicti XIV, vol. III-2, doc. 47, p. 249-272.

⁶¹ *Bullarium Pont. S. Congr. de Prop. Fide*, t. III, p. 293-297.

² *Magnum Bull. Romanum*, Benedicti XIV, vol. III-2, p. 116-17.

⁶³ APF, *Scritt. riferite nei Congressi: Mosc. Pol. Ruteni* (senza data), f. 1.

⁶⁴ «Die Zeiten des Papstes Bendict XIV sind in der Geschichte des gr. kath. Ritus der Ruthenen wegen Festsetzung der Rechte desselben auf Grund der fruheren hieher einschlagenden Kirchensatzungen besonders denkwuerdig. Dieser Papst hat hierueber viele normative Konstitutionem erlassen, welche den sprechendsten Beweis liefern, wie sehr ihm das Wohl der kath. orientalischen Nationen und ihres griechischen Ritus ueberhaupt und der katholischen Ruthenen und ihres ruthenischen Ritus insbesondere am Herzen lag». MALINOWSKI, *op. cit.*, p. 45.

⁶⁵ PETRUSEVYC, *Svodnaja Halytsko-russkaja Litopys*, t. I, p. 160.

bus, quae coram eo resolvebantur,⁶⁶ pro quibus festinavit, ut iam a. 1754 Euchologium Romae pro Orientalibus ederetur, quod sine ulla discussione a fautoribus liturgicae reformationis acceptum fuit.

Sed quidquid sit, de evolutione ritus, de abusibus insimul irrepsis deque norma moderatrice pro disciplina reformanda, conamina novae reformationis in secunda medietate s. XVIII notantur.⁶⁷ Imprimis nominandus est hic Conventus hierarchicus die 6. Augusti 1761 sub praesidentia Metr. F. Hrebnyckij Novogrodeciae celebratus.⁶⁸ Congregati Episcopi, collatis inter se consiliis, de convocanda nova Synodo Provinciali deliberabant, in qua etiam disciplina liturgica, ad normam Euchologii Benedicti PP. XIV, reformanda erat. Quem ob finem specialis Commissio Antesyndialis ex viris peritis constituta fuit,⁶⁹ quae desideria a delegatis in unaquaque dioecesi constitutis exhibita in unum colligere ac decreta antesyndalia formare debebat. Locus pro consultationibus antesyndalibus civitas Volodimiria in Volhynia destinata fuit. E materiis synodalibus, porro, invenimus compendium cui titulus plenus est: « *Compendium ex materiis synodalibus ad formandas Constitutiones in Congregationibus Antesyndalibus examinatis et digestis excerptum* » et desideria ad promotionem in iisdem Congregationibus ex dioecesi Polocensi exhibita,⁷⁰ quae omnia documenta fideliter ex tabulariis Archivi Secreti Vaticani depromptas in tertia parte dissertationis collocamus, sermonemque criticum de his in secunda parte instituemus.

Ipsam Synodum Metr. Hrebnyckij convocare non potuit, quia haud multum post Conventum Novogrodecensem mortuus est (1762). Eius successor Philippus Wolodkowycz (1762-1778), obtento a Romano Pontifice

⁶⁶ Hoc probant tituli, e. g. Punti da esamiarsi (= 14) nella prima Congregazione Particolare da tenersi alla presenza di vostra Santità sopra le materie dei Ruteni, li 24 Nov. 1748, ad ore 15; APF, *Soritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Rut. Relazioni, Miscellanea*, t. I.

⁶⁷ « Die Beschlüsse der Zamoscer Synode sind vielfach ins Leben eingeführt worden, die Kirchenbücher wurden in Gemeinheit der Zamoscer Decrete verbessert herausgegeben, und manche andere Anordnungen wurden erlassen und da sind, wie nicht anders sein konnte, neue Fragen aufgetreten, neue Gebrechen zum Vorschein gekommen, welche nur auf einer Provincial-Synode gehoerig beantwortet und fuer die Dauer beseitigt werden konnten. Zudem hat die Union damals ihre groesste Ausbreitung gefunden und namentlich in der Ukraine sehr viele Anhaenger gewonnen, und in Folge dessen war auch hier Vieles zu ordnen und in das rechte Geleise zu bringen ». PELESZ, *op. cit.*, II, p. 502.

⁶⁸ *IBID.*, p. 497.

⁶⁹ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 149, f. 572.

⁷⁰ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 33-77.

Clemente PP. XIII consensu,⁷¹ Synodum Provinciale pro die 26 Augusti a.1765 in civitatem Brest Litovskyj convocavit; tamen, proh dolor, celebratio Synodi iam imminentis propter oppositionem Gubernii Poloniae aliisque de causis remittenda et dein revocanda erat.⁷²

Vix decem annos post frustratam Synodum iterum quaestio de uniformi et typica librorum liturgicorum editione exurgit, cuius promotor Nuntius Varsaviensis J. Garampi (1772-76) exstitit. Ipse, sive ex propria observatione, sive ab aliis edoctus de confusione in librorum usu, ut melius quoque immutationes et additiones cognosceret, sententias peritorum exquisivit. Qua in re Nuntio responderunt: Ignatius Rosetti,⁷³ monachus-presbyter Samuel Novitskyj⁷⁴ et maxime Episcopus Maximilianus Ryllo, quoad S. Liturgiam.⁷⁵ Receptis responsionibus, J. Garampi suam super hac re relationem ad S. Congregationem de Propaganda Fide misit. Secundum eius mentem opus correctionis librorum « gloriosum pro Ecclesia Ruthena valde necessarium et fructuosum esset ». ⁷⁶ Sed iam die 8 Maii 1776 Varsaviae vale dixit, ad Vindobonensem destinatus Nuntiaturam;⁷⁷ haec translatio revisioni librorum liturgicorum multum obfuit.

Desiderium quoddam Synodi convocandae habuisse videtur Episcopus Leopoliensis Leo Szeptyckyj, Coadiutor Metropolitanus, sed quidnam sinceritatis in eius dictis latebat, difficile deduci potest.⁷⁸

Sub finem eiusdem saeculi quaerebat adhuc Archiepiscopus Polocensis Heraclius Lisovskyj (1784-1809), motivis iuridico-liturgicis, ac praesertim

⁷¹ Breve Clementis XIII ad Metropolitanum et Episcopos de die 15 Iunii 1765; ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 15.

⁷² PELESZ, *op. cit.*, II, p. 502-504; Cf. epistolam Secretariae Status ad Nuntium Visconti de die 28 Septembris 1765; ASV, *Nunz. Pol.*, t. 238, f. 72 v-73.

⁷³ Rector Collegii Rutheno-Armeni Leopoli, cuius relatio de die 28. Februarii. 1776 conservatur in: ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 101, f. 463-64.

⁷⁴ Epistulae eius ex die 4. Martii 1776 in: APF, *Scritt. rifer. nei Congressi: Mosc. Pol. Ruteni*, t. 12, f. 449-452.

⁷⁵ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 101, f. 471-477 v.

⁷⁶ APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Rut.*, t. 12, f. 444 v-448.

⁷⁷ MEYSZTOWICZ V., *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis*, p. 30.

⁷⁸ Rediens ex itinere ukrainiensi Ep. M. Ryllo, colloquio habito Radomisliae cum Szeptyckyj, haec scribit in suo *Diario* sub die 11-a (= Novembris 1774): — « Illmus Coadiutor reponendo longo sermone enarrabat colloquia cum Sacra Caesarea Majestate Leopoli habita, et quod Sua Majestas optabat scire antiqua privilegia Ruthenae Provinciae, cui etiam affirmabat se in scripto tradidisse, nec non appromisit Sua Majestas memoriam habere horum privilegiorum, tum quod Sua Majestas mirabat, quod postquam sub Clemente VIII Unio Ruthenae Ecclesiae instaurata fuerat, haec privilegia evanuerant. Subiunxit (= Szeptyckyj) quod *necessarium esse Synodum*, tum quia suo tempore,

unionisticis ductus, ut reformationem liturgicam perageret, ad quem scopum proposuit versionem Euchologii Benedicti PP. XIV, ut in praxim liturgicam Ecclesiae Unitae introducatur.⁷⁹ Mens Sedis Apostolicae non fuit omnino negativa, sed potius *conciiliativa*, cum non omnia postulata et Heraclii Lisovskyj consensum invenerunt. Euchologium Benedicti PP. XIV, etsi pro norma generali admissum erat, nihilominus S. Congregatio de Prop. Fide cum plerisque Viris peritis (Metr. Smogorzewskyj, Metr. Rostockyj, Pater P. Wazynskyj et Basiliani) reformationem periculosam et intempestivam existimarunt; de cetero Sancta Sedes recedere noluit a praxi liturgica, praesertim a Statutis et Decretis Synodi Zamostiana, quae ex motivis pastoralibus introductae fuerunt.⁸⁰

Posterioribus temporibus reformatio liturgica ex parte locum habuit in Synodo Provinciali Leopoliensi (1891), ubi viae apertae a Synodo Zamostiana, in suo pristino caractere plerumque conservatae, magis extensae fuerunt. Hodie autem tendentia « retrogressiva » praevalet, et reformatio, vel potius incepta librorum liturgicorum correctio et editio iussu Sanctae Sedis expedite procedit.

scilicet postquam dabit locus Metropolitae actualis, cessante officio Coadjutoris, Sanctam Sedem de reasumendis privilegiis exorabit...

— Reponendo ingenui, ut verum fatear nesciendo quo spiritu haec fuere prolata, dixi nihilominus, Ill. mus Hrebnicki p. d. Metropolitanus libenter cessit electioni, translationi Ep. porum, et per manus meas p. d. Nuntio Applico de Archinto vocato transmisit cessionis instrumentum; sufficient nobis privilegia a concilio Tridentino Metropolitanis concessa utinam et ista asserventur; *Synodum congregare nulla necessitas*, Zamosciana necdum ad praxim deducta, etc. etc. Desideramus novas formare Leges et antiquas non servamus ». — ASV, *Nunz. Pol., Additamenta*, t. 11 (in medio, sine paginatione).

⁷⁹ Cf. egregium opus M. M. SOLOWIJ, *De reformatione liturgica Heraclii Lisowskyj Archiepiscopi Polecensis (1784-1809)*, in: *Analecta OSBM*, series II, sectio I, vol. II, Romae 1950 (opus separatim).

⁸⁰ « La réponse de la Propagande est du 29 septembre 1787: il faut exécuter les décrets du synode de Zamosc, s'entendre avec le métropolitain et les autres évêques unis, avoir devant les yeux surtout l'Euchologe de Benoît XIV, « salvis tamen mutationibus inter Ruthenos unitos communiter inductis ad maiorem catholicae fidei et unitatis protestationem »; en attendant, ne rien innover, et surtout ne pas introduire le rituel dont se servent les dissidents ». RAES, *Le Liturgicon Ruthène, op. cit.*, p. 107.

CAPUT II

SYNODI BERESTENSIS OBSTACULA

A. *Causae extrinsecae:*

1. Regnum Poloniae tempore Synodi celebrandae. - 2. Influxus Moscoviae ope Episcopi Konyskyj a. 1755-1765. - 3. Polonia post Synodi dilationem primam adusque divisionem a. 1772.

B. *Causae intrinsecae:*

4. Metr. Wolodkowycz eiusque opera. - 5. Basiliani et quidam Episcopi.

Antequam ad ipsam expositionem frustrationis Synodi accedamus, de obstaculis seu de causis longinquis, quae eius celebrationem impediabant pauca praeponere opportunum ducimus, quaedam de causis remotis extrinsecis et intrinsecis innuendo.

A. *Causae extrinsecae.*

1. De historia Regni Poloniae praecedentium deceniorum haud pauca dicenda veniunt; plura iam obiter tetigimus. Hic vero ea tantum exponemus, quae ad periodum nostram pertinent, ad illam nempe periodum, quae a morte Augusti III incipiens ad primam divisionem Poloniae currit (1763-1772), qua, sub influxu Catharinae II, Imperatricis Moscoviae, Ecclesia ucraino-catholica tragicam in Polonia habuit sortem, antequam Austriae et Moscoviae incorporaretur.

Post mortem Augusti III, Regis Poloniae (5 Octobris 1763), qui in bello septem annorum Federici II Borussici contra Bohemiam et Russiam partem habere noluit et pacem conservavit, incipiunt tempora discordiarum ac anarchiae. Punctum principale debilitatis politicae Regni erat positio eius geographica inter duas potentes dominationes, russicam et germanicam (Zwischenreich).¹ Aliud punctum debile erat ipsa constitutio interna Status,

¹ « Il fatto più saliente in questo periodo della storia polacco-lituana è che tale stato, un tempo così potente, aveva nel corso dei due ultimi secoli perduta la sua posizione di contrappeso della Russia, e non era più che uno « Zwischenreich », uno « spazio intermedio ». « Esso era tale non già tra due diversi indirizzi spirituali, come già tra la Polonia e Mosca l'antica Lituania, ma tra i rappresentanti di due poderose concezioni politico-statali, l'imperiale russa a oriente e la germanica a occidente, divisa a sua volta in settentrionale-prussiana e asburgico-imperiale. In queste condizioni la Polonia non potè sostenersi ». AMMAN, *op. cit.*, p. 373.

quae dissidiis laborabat factionum et irrefrenata libertate Nobilium. Desiderabatur unitas societatis interna, dum ab exteris existentia ipsius Status minabatur.² « Familia Czartoryski » unicam arcam salutis in condenda nova potenti monarchia aspiciebat, dum, econtra, aliae « Familiae »: Potocki, Radziwill et Branicki formam constitutionalem monarchicam respuebant.³

Tempore Interregni « Familia Czartoryski » oculos suos ad tsarinam Russiae Catharinam II convertibat,⁴ quae hanc expectabat occasiorem ut sese intruderet in negotia interna Poloniae. Hunc in scopum pacem cum Federico II Prussiae accurate servabat⁵ et die 11 Aprilis 1764 tractatum secretum respicientem iura liberae electionis in Regno Poloniae conclusit.⁶

Post unum annum interregni, ipsius auxilio et favore, die 7 Septembris 1764 Stanislaus Augustus Poniatowski⁷ in Regem Poloniae electus fuit, vir debilis ac voluptati addictus.⁸ Plusquam triginta per annos novus

² « La nazione (polacca) in se stessa trovasi divisa in due fazioni, una della famiglia Czartoryski, assistita dalla Russia, l'altra dal conte Potocki, la quale dovendosi eleggere uno straniero dichiarasi per l'elettore di Sassonia »; Excerpta ex litteris Visconti ad Card. Torrigianum; THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 24.

³ PELESZ, *op. cit.*, II, p. 500 (in nota 42).

⁴ Amplissimam historiam huius imperatricis conscripsit: BILBASOV V. A., *Istorija Ekateriny vtoroj*, vol. I-XII, Peterburg 1890.

⁵ Petrus III, imperator Russiae, vir Catharinae II de Anhalt Zerbst, trucidatus fuit in conspiratione facta ab ipsa sua coniuge a. 1762, sub ducta hetmani Rasumovskvj-ducis Cosacorum. Eodem anno Catharina II recepit coronationem. Cf. PETRUSEVYC, *Svodnaja Halytsko-russkaja Litopys*, t. I, p. 237-38; particularia vide in: Excerpta ex litteris Visconti ad Card. Torrigianum; THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 20-23.

⁶ *Article secret du traité d'alliance entre l'impératrice de toutes les Russies et le Roi de Prusse à Pétersbourg le 31. Mars/11. Avril/1764.*

« Comme il est de l'intérêt de Sa Majesté le Roi de Prusse et de Sa Majesté l'Impératrice de toutes les Russies d'employer tous leurs efforts, pour que la République de Pologne soit maintenue dans son droit de libre élection, et qu'il ne soit permis à personne de rendre le dit Royaume héréditaire dans sa Famille, ou de s'y rendre absolu; Sa M. le Roi de Prusse et Sa M. l'Impératrice ont promis et se sont engagés mutuellement et de la manière la plus forte, par cet Article secret »; THEINER, *Die neuesten Zustände der Katholischen Kirche beider Ritus in Polen und Russland...*, p. 151, nota 7, Augsburg 1841; vel PELESZ, *op. cit.*, II, p. 522, nota 75.

⁷ De eius regimine cf. SCHMITT H., *Panowanie Stanisława Augusta*, Leopoli 1868.

⁸ « Caterina aveva anche trovato già un successore adatto di Federico Augusto in Stanislao Poniatowski, personaggio malaticcio, snervato, senza indipendenza di carattere, che quando ancora Pietro III era vivo aveva avuto rapporti illeciti colla zarina e che dalla sua non meno sensuale che brutale signora era ritenuto a se devoto in ogni caso »; ita PASTOR, *Storia dei Papi*, XVI/1, p. 512. Non dissimilem notam inverniens apud: FORST-BATTAGLIA O., *Poniatowski* (transductio Mario Benzi), p. 77 ss., Milano 1930.

Rex regnavit, et cum ipso triumphavit « Familia Czartoryski »;⁹ e laqueis tamen Moscovitarum Regnum se eripere, usque ad suam completam destructionem a. 1795, non iam potuisset. Electio Stanislai Poniatowski initium erat tristis illius periodus, quia viam aperuit influxibus Moscoviae. Paulo post suam electionem Poniatowski Constitutionem « *Pacta Conventa* » (47 articuli) promulgavit,¹⁰ ex quibus primus articulus (« Le Roi doit professer la Religion Catholique ») potestatem Regis, Senatus, Nobilitatis polonicae ac lithuanicae circumscribit; alii articuli privilegia « Familiae Czartoryski » respiciebant, immo et ritus dissidentium, tamen sine praeiudicio Ecclesiae Catholicae et ritus graeco-uniti.¹¹ Primo oculorum ictu ordo, post periculosam temporis interregni fluctuationem, restitutus apparebat; intestinae discordiae cessarunt et moscovitarum intenta frustrata videbantur. Sed iam paulo post Diaetam electionis dissidentes aequalitatem iurium exigere coeperunt.¹² Mox et relationes amicales inter partem Czartoryski et ministrum tsarinae Repnin¹³ in pessimum prosilierunt statum.¹⁴ Occasione nacta, Catharina II, ad suum scopum assequendum, se protectricem proclamavit « orthodoxorum » in Regno Poloniae.¹⁵ Influxus exinde exitiosus dissidentium cum intentis Aulae Petropoliensis politicis pari procedebat gressu¹⁶ et Ecclesiae Unitae in Regno Poloniae non leves procuravit difficultates.

⁹ Cf. BEER A., *Die erste Teilung Polens*, t. I, p. 171-74, Wien 1873.

¹⁰ Transcriptio invenitur apud: THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 47 ss.

¹¹ « Et comme le nombre des Dissidents en matière de religion est considérable dans les états de la République, nous promettons de les maintenir en paix par rapport à la religion chrétienne, sans porter aucun préjudice aux droits de l'Eglise catholique Romaine et de rit grec uni »; *IBID.*, p. 47, (7. Dissidents).

¹² Cf. LIUBIENSKA M. C., *Sprawa dysydencka 1764-1766*, in: « Monografie w zakresie dziejow nowozytnych », vol. XIII, p. 24-32, Warszawa 1911.

¹³ De Repnin eiusque actione in primo quadriennio gubernii Stanislai Poniatowski consule studium: ALKARA, *Ksiazce Repnin i Polska w pierwszym czteroleciu panowania Stanislawa Augusta (1764-1768)*, t. I, p. 61-75 ss., Krakow 1897.

¹⁴ « Vero è che la tensione tra Repnin e gli Czartoryski andò in seguito crescendo sempre; il re, invece di seguire i dettati della saggezza e cercare un compromesso fra i due, si dette sempre più a temporeggiare; ben presto si vide palleggiato di qua e di là, preda delle disposizioni mutevoli ». PASTOR, *op. cit.*, XVI/1, p. 517.

¹⁵ « Auf eine entschiedenere und rücksichtslosere Weise handelte Catherina II., nachdem sie ihren Gemahl Peter durch Mord aus dem Wege geraeumt und selbst den Thron bestiegen hatte. Sie warf sich zur Beschuetzerin der in Polen lebenden Protestanten und Schismatiker auf, nicht etwa aus Eifer fuer die russische Orthodoxie, weil sie keine Religion hatte, und unter der Maske der Froemmgigkeit jede Religion verachtete, sondern aus politischen Rucksichten und selbstsuchtigen Zwecken ». PELESZ, *op. cit.*, II, p. 508.

¹⁶ Cf. BJEDNOV V. A., *Pravoslavnaja Tserkov v Pol'kje i Litvje*, Jekaterinoslav 1908.

2. Post mortem Episcopi non uniti Volčanskyj (1754), Benedictus PP. XIV in vanum quaerebat ut impediret novam nominationem apud Augustum III,¹⁷ qui anno sequenti (23 Maii 1755) approbavit ad vacantes dioeceses Mohiloviensem, Mstislaviensem et Oršanensem Episcopum non unitum Georgium Konyskyj.¹⁸ Konyskyj educatus erat Kioviae, ibique, ante suam nominationem, munere Rectoris Academiae Theologicae fungebatur, et modo fanatico persecutus est Unionem. Quamvis originis erat ucrainicae, animo tamen adhaerebat Moscoviae et labores suos impense in eius favorem consecravit.¹⁹ Nullus praeterfluebat annus, quo querimoniae ex parte non unitorum contra Episcopos catholicos alterutrius ritus tum ad Regem, tum ad Comitata Regni deferrentur,²⁰ et pro iisdem ex parte Moscoviae fieret intercessio. Ante tamen accessum ad thronum Catharinae II et vivente Augusto III eius actio carebat pleniore successu, ita, ut sub finem gubernii Augusti III (1762) Poloniam ad duos annos relinquere et Petropolim se transferre coactus fuit. Erat tempus brevis florescentiae vitae culturalis Unitorum, in quo notatur conamen reformationis atque reactio contra liturgicam difformitatem. Momento regressus Episcopi Konyskyj in Poloniam Metr. Hrebnyckyj, praecipuus promotor Congressus Novogrodecensis, non iam erat inter vivos. Loco eius, tamquam Archiepiscopus Polocensis, venit Jason Junosza Smogorzewskyj (1762-1780), vir excultus ac pius,²¹ qui ante suam promotionem Varsaviae munus gerebat procuratoris Metropolitanum. Memor privilegii sui praedecessoris Floriani, praesumendo quoque Georgium Konyskyj non iam rediturum esse, Romae iurisdictionem super vacantes dioeceses in Albo-Ruthenia postulavit. Clemens PP. XIII, negotium hoc Regi Augusto III commendavit, Archiepiscopum vero admonuit, ut caute procederet, ne novas lites suscitarret.²² Conamina tamen Hierarchiae ucrainicae praematurae fuerunt; sub finem enim a. 1764 G. Konyskyj Mohiloviam rediit. Nam eius petropolitana commoratio novis aggressionibus apparandis inserviebat, ut Catharinae II patronatum iam a momen-

¹⁷ AMMANN, *op. cit.*, p. 366.

¹⁸ PETRUSEVYC, *Svodnaja Halytsko-russkaja Litopys*, t. I, p. 198.

¹⁹ LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 73-75.

²⁰ BANTYS-KAMENSKI N., *Istorijskoje izvjestije...*, p. 357-369.

²¹ Ipsum sic laudat Nuntius: « L'arcivescovo di Polock sopra tutti (= vescovi) ha credito, sagacità e fermezza ». Excerpta ex litteris Nuntii de rebus polonicis /1766/; THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 95.

²² THEINER, *ibid.*, p. 2-3, Brevia die 4 Decembris 1762.

to ascensionis in thronum obtineret, quem, oratione habita,²³ impense quae-
rebat. Revera Catharina, decursu sui regiminis, inclemens fuit versus om-
nes suos subditos ab intra, prout erat aggressiva ad extra.

Quoad principes ac duces populorum circumvicinorum, eos blanditiis
circumvolvebat et, evocata ratione, sua imponebat desiderata.²⁴ In Ucraina
Orientali ducem Rosumovskij ad resignationem dignitati « hetmani » a.
1764 adegit²⁵ et omnia privilegia politicae aethonominiae abrogavit, popu-
lum terramque in provincias, a gubernatore generali administratas exdivisit.²⁶
In Polonia vero, eodem adhuc anno electionis Stanislai, per suos ministros
Repnin et Keiserling, aequalitatem iurium dissidentibus in pacto Oliviensi
(1660) concessam fortiter postulavit.²⁷ Articulus 7-us « Pactorum Conven-
torum » dissidentes non reddebat contentos. Patrocinio proinde Catharinae
suffulti, dissidentes Unitos de diversis afflictionibus, de praepeditione liberi
cultus exercitii ac de violenta attractione ad religionem catholicam accu-
sabant.²⁸ Nuntius Visconti iam tempore interregni et per integrum a. 1764
clamoribus dissidentium advigilabat.²⁹ Positio tamen Catholicorum fortis
adhuc manebat, et neque oratio a. 1765 a Konyskij coram Rege in idio-
mate latino habita³⁰ quidquam obtinere valuit. In Memoriali, iam Petropoli
apparato eademque occasione porrecto, inter 20 puncta plura damna a non
unitis passa enumerabantur,³¹ inter alia duod a tractatu a. 1686 usque ad
a. 1765 dissidentes circiter 200 ecclesias cum monasteriis, plerumque vio-
lenta actione Unitorum perdidierunt, quorum elenchus separatim confectus
adiungebatur. Rex vero, ne intempestive causam diceret, elenchum ad revi-

²³ « Konyskij jouissant d'une grande autorité après de Catherine II devant laquelle il prononça un éloge à l'occasion de son couronnement, véritable morceau d'éloquence pour son temps »; BORSCHAK E., *La légende historique de l'Ukraine « Istorija Rusov »*, in: *Collection historique de l'Institut d'Etudes slaves*, XIII, p. 177, Paris 1949.

²⁴ WALISZEWSKI K., *Le roman d'une Impératrice. Catherine II de Russie*, Paris 1908.

²⁵ Cf. auctores laudatos: KRUPNYCKYJ B., p. 189-93; BARVINSKYJ O., p. 235; AMMANN A. M., p. 351.

²⁶ « Catarina II, nel 1764, destituì l'etman Rosumovskij, abolì l'etmanato e nominò il conte Rumjanzev, moscovita di sangue e di sentimenti, governatore dell'Ucraina ». BONDOLI R., *Ucraina*, p. 73, Roma (Edizioni Vettorini).

²⁷ PELESZ, *op. cit.*, II, p. 509-511.

²⁸ HARASIEWICZ, *op. cit.*, p. 496.

²⁹ Vide eius relationes, die 5 et 19 Decembris 1764; THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 35-36.

³⁰ Cf. BANTYS-KAMENSKI, *Istoričeskoje izvjestije...*, p. 318-22, ubi invenitur textus latinus et moscoviticus.

³¹ LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 79-81, ubi singula puncta breviter enarrantur.

dendum Episcopis Unitis³² commisit, qui eodem tempore iam Berestiae ad Synodum celebrandam congregari coeperunt, sperantes fore in ultimo momento Regem persuasurum esse de inutilitate suorum legatorum, quorum praesentia Synodi celebrationem impediabat. Synodo non celebrata, etiam quaestio restitutionis 200 ecclesiarum insoluta remansit. Duo solum modo Episcopi, Jason Smogorzewskij (Polocensis) et Heraclius Lisanskij (Smolenscensis), non exhaurientem, cum in itinere permansissent, ac negativam responsionem dederunt. Anno vero sequenti 1766 Episcopus Turoviensis Antonius Mlodowskij pleniorum dedit responsionem in 4 punctis complexam, quae praetensiones et argumenta dissidentium nervose evertebat.³³

Sed tempora haec non fuerunt peiora in historia Regni Poloniae et Ecclesiae ucrainicae nobis affirmare licet. Synodi celebrationem fuisse necessariam et opportunam in hisce historiae Poloniae circumstantiis et in principio novae aggressionis moscoviticae, nemo est qui non videt. Tragoedia Regni Poloniae et Unionis Episcoporum rectam sententiam comprobant.³⁴

3. Synodi a. 1765 celebratio non fuit omnino abrogata, sed solum dilata ad tempus magis opportunum.³⁵ Utrum ante primam divisionem Poloniae aliquid hac in re tentabatur, silent documenta. A suis tentaminibus Episcopi, grassantibus periculis ac negotiis urgentibus abstracti fuere praesumitur. Konyskij in Diaeta a. 1766, hac vice iam in praesentia oratorum Borussiae, Daniae et Magnae Britanniae, tam fortes ac urgentes declarationes coram Senatu et Rege exhibuisset,³⁶ quae totam Poloniam, immo et Romam commoverunt. In Republica civium nimis potius, quam deficiens erat libertas;

³² Hoc resultat ex quinto puncto instructionis extraditae ex Cancellaria Regni Stephano Gedroic, delegato synodali, quam vide ad calcem tertiae partis documentalis.

³³ LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 82-84. In secundo puncto Episcopus restitutionem 200 ecclesiarum tangit. Ipsae, etiamsi prius a dissidentibus occupatae fuerunt, cum amplexione istius gentis ad Ecclesiam Unitam catholicae factae sunt et, ut ad tales, Uniti nunc aequae ius acquisiverunt.

³⁴ Ter vicini Poloniam dividerunt: a. 1772, bello civili ab ipsis provocato, intervenientes terras Poloniae orientales et occidentales occupaverunt; post bina decennia, a. 1792 bello Poloniae indicto, novas arripuerunt provincias; post brevem insurrectionem Polonorum a. 1795 tamquam victores exiguitatem territorii iterum dividerunt et Regem Stanislaum Augustum abdicare coegerunt.

³⁵ Cf. epistolam Secretariae Status ad Nuntium Visconti de die 28 Septembris 1765, ASV, *Nunz. Pol.*, t. 238, f. 72v-73.

³⁶ Omnes declarationes scriptas gallice videbis apud THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 109-115.

non carebant ergo libertate et dissidentes. Limitabantur tamen in nonnullis iuribus politicis, et certo modo a regimine Reipublicae arcebantur. Ab anno 1718 exclusi erant a Senatu, a Diaeta, a Ministeriis et Dignitatibus maioribus, quae solum Polonis, exclusis etiam Ucrainis catholicis, reservabantur. Quaestio nunc movebatur de his restrictionibus auferendis. In margine huius principalis quaestionis agitabatur quaestio de iure dissidentium ad novas ecclesias aedificandas et de restitutione earum, quae unitae factae sunt seu in manus Ucrainorum venerunt. Pars catholica, hac vice latina, confusam coepit defensionem, cum 40 millia exercitus moscovitici minarentur Patriam.³⁷ In initio Diaetae, die 11 Octobris 1766, Episcopus Cracoviae Soltyk in vanum quaerebat ut obtineret approbationem novae legis, secundum quam, sub gravissimis poenis et confiscatione bonorum prohibebatur omni civi Poloniae petere parificationem et aequalitatem iurium dissidentium cum catholicis.³⁸ Eius propositioni unanimiter applausum dederunt Episcopi et deputati; tacebant solunmodo senatores,³⁹ quorum silentio immediata oratio Regis haud dubie favebat.⁴⁰ Sic facta est divisio opinionum. Etiam Nuntius, instructione Roma munitus,⁴¹ intercedere non omisit. Oratione habita in Senatu, omnes excitavit, et textum⁴² polonice versum in diariis et ephemeridibus per totam regionem divulgavit. Clemens PP. XIII Archiepiscopo Gnesnensi-Primate Poloniae⁴³ speciales dedit litteras. Infine postulata dissidentium repulsam passa sunt.⁴⁴ Libertas

³⁷ « L'ambasciatore russo principe Repnin le ha immediatamente significate alla corte, ed al ministero, specificando che in caso del repulso si tien pronto alle frontiere un esercito di 40mila soldati per entrare in Polonia, ed avanzare sino a questa regia residenza. Una replicata intimazione fatta con tanto apparato, e in termini si assoluti ha colmato gli animi d'ambiguità e di terrore ». Excerpta ex litteris Nuntii Apostolici, THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 93.

³⁸ THEINER, *ibid.*, IV, II, p. 116-19; cf. LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 87. Oratio eius mandato Summi Pontificis in italicum idioma versa est et Romae typis edita.

³⁹ PASTOR, *Storia dei Papi*, XVI/1, p. 519.

⁴⁰ Textum vide apud THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 119 ss.

⁴¹ Osservazioni sopra i Trattati Publici allegati de' Ministri di Moscovia, e di Prussia, nel promuovere le pretensioni dei Dissidenti della Polonia, nella Dieta Generale dell'anno 1766; APF, *Istruzioni*, t. 3, f. 118-42v, vel THEINER, *l. cit.*, IV, II, p. 132-151 cum titulo: Considerationes tractatum Oliviensis, Moscuensis, Hadiacensis..., sub comitia Generalia Varsaviae 1766, in delucidationem et confutationem declarationum oratorum principum externorum pro defensione iurium praetensorum dissidentium editae.

⁴² Vide copiam apud THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 124 ss.

⁴³ THEINER, *ibid.*, p. 108.

⁴⁴ Constitutiones Diaetarum quae referuntur ad tempus Stanislai Augusti videsis in: *Volumina Legum*, t. VII-VIII, Warsava 1782.

quidem cultus eis concedebatur, « secundum leges Status », et, sicut quidam opinantur, respiciebat solummodo dissidentes sub ditionibus Borussiae, non vero in Statu polonico.⁴⁶

Catharina II tamen, post obiurgationes Stanislao factas, suo ministro Replin « Confoederationem » excitare iussit. Haec iuris institutio, ut saepe in Polonia eveniebat, ad res difficilioreis maiorisque momenti solvendas adhibebatur, quae, si maioritatem sibi adiungere potuit nationis, leges ferendi capax erat. Confoederatio, cuius fundatorum mens erat reformationi gubernii, a Rege exoptatae, se opponere, et iura dissidentibus tribuere, inita est Radomiae, Carolo Radziwill praeside, mense Iunio 1767, cui plurimi ex nobilitate et ex ipso Clero, Episcopis et Primate Poloniae Gabriele Junosza Podoski⁴⁶ haud exclusis, nomina sua dederunt. Ipse Primas Poloniae expresse in favorem laborabat dissidentium⁴⁷ et post aliquot menses iam pertractabat cum Replin, de scissione Ecclesiae polonicae a Sede Apostolica, prout habent etiam quidam auctores Poloni.⁴⁸

Mense Octobri 1766 Nuntius Varsaviensis Visconti ad Vindobonensem destinatus fuit Nuntiaturam; de more tamen expectabat adventum Nuntii Durini, qui nonnisi die 29 Iulii 1767 Varsaviam venit. Cum dolore de misero statu Poloniae scribebat Nuntius Visconti suas ultimas relationes Romam.⁴⁹ Novus Nuntius, Durini, veniens Poloniam, invenit iam formatam Confoederationem Radomiensem, Regi adversam, dissidentibus faventem, de cuius tristi activitate statim sat amplam dedit relationem.⁵⁰ Novum Nun-

⁴⁶ Ita PASTOR, *Storia dei Papi*, XVI/1, p. 521.

⁴⁷ PELESZ, *op. cit.*, II, p. 515; AMMANN, *op. cit.*, p. 375.

⁴⁸ PASTOR, *l. cit.*, p. 524-25.

⁴⁹ LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 96-97.

⁵⁰ « Questa traviata ed imbecille nazione intimidita dall'invasore de' Russi, compresa dal fanatismo de' malcontenti, soverchiata dalle menzogne de' furbi, si lascia sempre più strascinare alla rovina, e rinunzia vilmente a que' sensi di religione che le stavano a cuore... ».

De Nobilibus: « In altri tempi ognuno di que' nobili si sarebbe inorridito a sentirsi solamente proporre la minima particola di un'articolo sì pernicioso; in oggi non hanno fatta veruna difficoltà a sottoscriverlo concordemente radunati in confederazione generale ».

De Primate Podoski: « abusa dei suoi talenti col prendere espresso partito in favore degli eretici e scismatici e a tal effetto si stringe in frequentissime conferenze col ambasciatore di Russia ed agisce di concerto con esso... ». Excerpta ex litteris Visconti ad Summum Pontificem datis, THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 213.

⁵⁰ IBIDEM, IV, II, p. 217-47; curiositatem merent dicta de Primate Podoski (p. 242): « Nella settimana scorsa capitavano dei versi di Voltaire, ingiuriosi alla fede cattolica, ed apertamente favoriti ai dissidenti. Il Replin li leggeva con enfatica compiacenza,

tium Confoederatio sibi adversum habuit; Episcopus Soltyk, cui mox ad stipulatus est Episcopus laicus Zaluski, Confoederationi obstare conabantur, quorum opera ac studium apostolicum revera admirari debent.⁵¹ Inspiratus ab indigno Regni Primate, Replin, ut suam quoque acceleraret actionem⁵² et potentes obices e Senatu expelleret, extremam excogitavit rei solutionem et supradictos senatores-episcopos apprehendere violenta manu et in Siberiam deportare iussit eorumque bona ac possessiones devastare.⁵³ Ultima, fortitudinis plena epistula Episcopi Soltyk, in qua mundo vale dicebat commovit omnes.⁵⁴ Summus Pontifex incarcerationis specialem misit epistolam, sicut et episcopis polonis suos communicavit dolores.⁵⁵ Indignatio Episcoporum, Cleri et Magni Cancellarii Zamoyski, qui paulo post suo abdicavit officio, eorumque conamina pro liberatione Episcoporum erant sine effectu; sors Episcopi Soltyk, promotoris intrepidi iustitiae⁵⁶ in manibus erat Catharinae II.

Violentia tamen tam palam proclamata et iniustitia adhibita novam mox in Regno Poloniae excitavit Confoederationem, quae sub nomine venit « Barenensis ». Haec quoque adversa erat Regi, sed etiam *eius foederi cum Moscovia*. Proximam occasionem hanc Confoederationem ineundi (mense Febuario 1768, sub praeside Krasinski) haud dubie dedit raptus Episcoporum Soltyk et Zaluski aliique exercitus russici abusus; « tractatus aeternus inter Poloniam et imperium Russiae »⁵⁷ Regi, post deportationem Episcoporum, impositus, quo iura dissidentibus concessa sub tutela Statuum vicinorum ponebatur, ultimam causam Confoederationis constituit. Intuitu dissidentium, in « aeterno tractatu » quaestio iam olim agitata de

ed un vescovo (horrendum dictu) applaudiva; *il vescovo è il Primate*. Il fatto mi è stato accertato da uno, che lo sa da chi era presente. Quel che non so di certo, e che si dice, si è, che il Primate non abbia più detto la Messa dopo la sua consecrazione. Pur troppo mi accorgo, che non lo conoscevo, ne lo potevo io conoscere su i primi giorni del mio infelice ministero. Quest'obbligo era di Monsig. Visconti, che in 7 anni poteva ben farne l'anatomia, e Monsig. Visconti ne renderà conto a Dio ».

⁵¹ Vide eorum epistulas pastorales: THEINER, *l. cit.*, IV, II, p. 173-74; orationes Episcopi Soltyk habitae in Regni Comitibus a. 1767 ac colloquia cum Replin, p. 187-95.

⁵² « Replin hatte das schwierige Werk durch Anwendung aller Kuenste, durch Gewalt, Lug und Trug zu Stande gebracht »; BEER A., *Die erste Teilung Polens*, t. I, p. 208.

⁵³ Cf. PASTOR, *op. cit.*, XVI/1, p. 525-27; PELESZ, *op. cit.*, II, p. 516-17.

⁵⁴ Epistula de die 13 Octobris 1767; THEINER, *op. cit.*, IV, II, p. 188 ss.

⁵⁵ *IBIDEM*, p. 198-201.

⁵⁶ « Il vescovo di Cracovia non la cede a veruno fra i vescovi per talento, prontezza e coraggio; ma la vanità li ha fatto del torto nell'opinione delle persone, e alle volte la prudenza gli manca »; Excerpta ex litteris Visconti de rebus polonicis, THEINER, *l. cit.*, IV, II, p. 97.

⁵⁷ Textum vide apud THEINER, *l. cit.*, IV, II, p. 247-64.

restitutione ecclesiarum, nunc vero in 17 articulis digesta, concludebatur. Articulo 14 stipulabatur, ut omnes ecclesiae ac monasteria, illegitime a dissidentibus avulsa, cum suis foundationibus ipsis restituerentur; articulo vero 15, Varsaviae constituebatur Commissio seu « Iudicium Mixtum » 17 costans personis⁵⁸ ad decidendam causam de bonis et foundationibus non unitorum. Quamvis agebatur de Ecclesia Unita, nemo ex eius gremio ad Commissionem admissus fuit.⁵⁹ Trium annorum spatio Commissio mox dicta minime componi potuit et proinde omni effectu carebat;⁶⁰ eius activitatem nova impedivit Confoederatio.

Ad Confoederationem comprimendam Catharina II in Ucraina Orientali motum popularem, « Hajdamaccyna » vulgo dictum, excitavit qui, ducibus Maxym Zalizniak et Ivan Gonta, ex motivis politicis, socialibus ac religiosis, totam fere Ucrainam, ad dexteram ripae Dnipro sitam devastarunt,⁶¹ excidiisque expleverunt animumque Unioni catholicisque infensum demonstrarunt.⁶² Sed paulo post, Catharina imperante, « Hajdamaki » crudeliter suppressi fuerunt,⁶³ et bellum moscovitico-turcicum locum habuit (1768), quo res Confoederatorum melius promoveri potuerunt. Biceps haerebat Nuntius quem eligere debuit: Regem an Confoederationem. Confoederati principia catholica alta proclamabant voce, vexilia cruce ornabant. Etsi Regis adversarii essent, non erant ideo seditiosi ac rebelles, cum « Ius Confoederationis » civibus Polonis proprium fuerit. Ex alia parte Rex novitatibus philosophiae gallicae adhaerere videbatur. Idcirco Nuntius, in Curia Varsaviae-

⁵⁸ Commissio componebatur ex Episcopo nonunito Mohiloviensi, qui eam dirigebat, ex 4 protestantibus, 4 dissidentibus et 8 polonis catholicis. Membra omni anno a Rege nominari debebant. Cf. LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 102.

⁵⁹ PELESZ, *op. cit.*, II, p. 520.

⁶⁰ HARASIEWICZ, *op. cit.*, p. 497.

⁶¹ LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 116-120; KRUPNYCKYJ B., *Geschichte der Ukraine*, p. 200-205; cf. studium speciale ANTONOVYC V., *Rozvidka pro hajdamakŭnyu*, in: *Rozvidky pro Narodni Ruchy na Ukrajinu-Rusy v XVIII vitsi*, vol. XIX, Leopoli 1897.

⁶² « Besonders viel Unheil hat Zelesniak's Abtheilung in der Stadt Human angerichtet, von welchem dieser ganze Aufstand den Namen « Schlaechtere von Human » erhalten hat u. s. w. Diese Mordthaten, welche nur mit den Christenverfolgungen der ersten Jahrhunderte verglichen werden koennten, wurden mit Willen und Wissen der Czarin Catharina von der schismatischen Hierarchie angezettelt. Ueberall, wo sich die moerderischen Raeuberbanden unter ihren Haeuptlingen Zelezniak, Gonta u. Andere zeigten, fielen die katholischen, namentlich unirten Priester und Kirchen, und nur Leichen und Schutthaufen kennzeichneten die Gegenden, wo diese Mordbrenner durchzogen ». Ita PELESZ, *op. cit.*, II, p. 525.

⁶³ CHOLMSKYJ J., *Istorija Ukrajiny*, p. 273-74, Monachii 1949.

nsi manens, ex corde Confoederatis adhaesit, et consequenter Regem sibi alienum fecit.⁶⁴

Rex tamen semper Varsaviae manebat, etiamsi multa passus est; anno 1770 Consilium Confoederationis eum depositum et Coronam vacantem declaravit. Ultimis mensibus ante divisionem sui Status desperatus erat et a populo isolatus. Quamvis fortuna ei et russicis copiis favere coepit ultimumque fortalitium Confoederatorum Czestochovia occupatum fuit, tamen tota regio erat plena exercitus alieni. Exspectabatur a Rege quaedam fortissima reactio ac decisio in tam critico momento. Sed invanum; parvi sunt foris arma, nisi est consilium domi.⁶⁵ Petropoli iam praeparabatur decretum divisionis Poloniae,⁶⁶ dum Nuntius Durini mense Septembri a. 1772 Varsavia discedebat. Partitione nonnisi 18 Septembris 1773 peracta,⁶⁷ Ecclesia ucraino-catholica novos nacta est patronos: *Poloniae* manebat Metropolitana dioecesis, Eparchia Vladimiriensis, Pinscensis, Berestensensis, Luceoriensis, pars Eparchiae Chelmensis et Camenecensis; *Russiae* vero cessit dioecesis Polocensis, quae iam a. 1839 ad schisma rediit; *Austriae* adsignata fuit dioecesis Leopoliensis cum civitate Halyč et parva parte Eparchiae Camenecensis, dioecesis Premisliensis cum Sambor et Sianok, portiones dioecesium Luceoriensis, Chelmensis, et Belzensis. Non obstante hac trifaria divisione omnes Episcopi uniti sub iurisdictione Metropolitanii Kievo-Haliciensis ulterius permanebant.⁶⁸

Ex hac brevi historia Poloniae concludere possumus: post frustratam Synodum Berestensem a. 1765 novaque immediata tentamina Nuntii Visconti tempora meliora haud advenerunt. Ecclesia in Polonia et sub regimine austriaco manens gaudebat adhuc publica pace, tamen in sua organica compagine vulnerata et indubitata intestinis discordiis, lite praesertim Metropolitanii cum suis Coadiutoribus, ad novam Synodum cogendam non iam cogitabat. Inter tentamina reformationis post primam divisionem Poloniae adnumerare liceat Episcopi Leonis Szeptyckyj (1774) et Nuntii Garampi

⁶⁴ MEYSZTOWICZ V., *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis*, p. 20-21.

⁶⁵ Polonia huius temporis sic ab Episcopo Turski in versibus apparebat:

Rex lascivus, oppressus Eques, servusque Senatus,

Irrita pax, nec tuta fides, Clerique potestas.

Vanaque lex, exhaustaque plebs, tum falsa moneta.

Cf. PETRUSEVIC, *Dopolnenija ko Svodnoj Halytsko-russkoj Litopysy* (1720-1772), vol. I, p. 343, Leopoli 1896.

⁶⁶ PELESZ, *op. cit.*, II, p. 545-46.

⁶⁷ Cf. studium JANSEN J., *Zur Genesis der ersten Theilung Polens*, Freiburg in Breisgau 1865.

⁶⁸ HARASIEWICZ, *op. cit.*, p. 498.

(1775-76) operam. Maioris momenti prae se ferebat opus inceptum ab Archiepiscopo Heraclio Lisowskyj (1784-1809), quod pariter insuccessum, hac vice ex oppositione Curiae Romanae, habuit.

B. *Causae intrinsecae.*

4. F. Hrebnyckyj a. 1762 vita functo, Cathedram metropolitanam ascendit Philippus Wolodkowycz, vir omnino singularis in historia Ecclesiae. Eum fuisse hominem eminentis ingenii affirmare non possumus; consequenter ut non satis aptus supremae dignitatis metropolitanae creditur,⁶⁹ qua per sexdecim annos (1762-78) potitus est. Cum eius persona historia Ecclesiae Unitae intime connectitur; iura namque metropolitana ac privilegia integritatem S. Unionis respiciebant; ab eo pariter convocatio Synodi dependebat.

Natus est 6. VI. 1697 e nobili genere⁷⁰ et in iuventute ingressus est Religionem Basilianam, in qua ante suam consecrationem episcopalem varia obibat superiora munera. Episcopus Chelmensis annis 1731-1758 fuit, quo tempore cum Basilianis et praecipue cum Maximiliano Ryllo, Superiore monasterii Chelmensis, pacifice convivere haud potuit.⁷¹ Ad imperandum erat natus; difficulter patiebatur contradictiones, a plurimis de variis commissis et omissis accusabatur. Iam anno 1746 Benedictus PP. XIV Metropolitanato commendat, ut Nuntium Albericum de Archinto de moribus Episcopi Chelmensis edoceat.⁷² Qua de causa Wolodkowycz e sua dioecesi transferri conabatur, quod et obtinuit (a. 1756), contra expressam voluntatem Metropolitanati, obtento a Rege Augusto III nominatio-

⁶⁹ PELESZ, *op. cit.*, II, p. 529; AMMANN, *op. cit.*, p.3 79; CHOTKOWSKI W., *Historia polityczna Kosciola w Galicyi za rzadow Maryi Teresy*, t. I, p. 118, Cracoviae 1909.

⁷⁰ Eius biographiam vide: Wolodkowicz Felicjan Filip, in: *Encyclopedyja Powszechna*, t. XXVII, p. 768-774, Warszawa 1867.

⁷¹ « Er bekleidete vor seiner Weihe zum Bischof verschiedene Aemter im Basilienerorden, und fuehrte auch nach seiner Erhebung auf den bischoefflichen Stuhl den Titel Archimandrit von Dubno, Derman und heil. Spas, nichtsdestoweniger hat aber zwischen ihm und den Basilianern kein gutes Einvernehmen stattgefunden. Die Ursache dieser Zwistigkeiten war, wie in der ganzen Metropole, das Streben der Basilianer, den Saecularclerus von allen hoeheren kirchlichen Aemter und Wuerden auszuschliessen, und ihre Suprematie zu erhalten ». PELESZ, *op. cit.*, II, p. 703.

⁷² « Non sine ingenti dolore excepimus literas Fraternalitatis tuae, quibus significas Ven. Fratrem Episcopum Chelmensem scandalosam et sacris canonibus adversantem ducere vitam, ac Fraternalitatis tuae et Ven. Fratris Episcopi Luceoriensis honorem detrahere ». THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 134.

nis consensu,⁷³ ut ad vacantem dioecesim Vladimiriensem se transferret, et Bullam translationis duos post annos recepit.⁷⁴ Eparchiae Vladimiriensis possessione capta, iam eodem anno controversia de spoliis defuncti praecessoris Godebskyj cum Episcopo Pinscensi exurgit, qui vacantem Ecclesiam breviter administrabat. Quaestio per annos protracta, videbatur iam soluta a. 1761, sed quinque post annos iterum reviviscit, ad instantiam archidiaconi Ecclesiae Cathedralis Vladimiriensis, Romani Wyhowskyj. Asserebat archidiaconus bona defunctorum Episcoporum Ecclesiae Vladimiriensis, inde ab aetate Hypatii Potij (1598), ad administrationem spectare Capituli Cathedralis, compositi ex archipresbytero, cancellario et archidiacono, secundum genuinam intentionem primi fundatoris Hypatii, a Rege Poloniae Sigismundo III approbatam, fideliterque annorum decursu usque ad Episcopum Godebskyj observatam.⁷⁵ Renitente Metropolitano Wolodkowycz, effectiva solutio anno tantummodo 1767 venit, qua Capitulum reintegrandum in dimidio spoliis Episcopi Godebskyj decernebatur, dum aliud dimidium manutentioni Ecclesiae Vladimiriensis cedebat.⁷⁶

Anno 1761, immediate ante Episcopi Wolodkowycz ad Cathedram metropolitanam successionem, Romam folium cum gravissimis accusationibus, eius vitam moralem respicientibus, pervenit. In processu inito die 11 Maii 1762, cui Card. Praefectus S. Congr. Concilii Spinelli praesidebat, puncta accusationis singillatim perpensa fuerunt.⁷⁷ Ad rem tanti momenti testes fide digni ad causam vocati sunt, qui unanimiter videbantur inter se congruere. Processum formabant epistulae Episcopi Chelmensis M. Ryllo,⁷⁸ Episcoporum Luceoriensis ac Leopoliensis litterae, « excerptum ex litteris cuiusdam viri gravis et in dignitate constituti ad Archiepiscopum Leopoliensem », multaque alia privata scripta.⁷⁹ Tandem informatione

⁷³ Quomodo autem Wolodkowycz nominationem regiam eripuit fortuito inventa epistula Metr. Hrebnykyj narrat. Vide ASV, *Nunz. Pol., Additamenta*, t. 11, fasc. 5 in fine (non numeratus) « Dal Polacco a suo agente ».

⁷⁴ PELESZ, *op. cit.*, II, p. 705.

⁷⁵ APF, *Acta S. Congregationis*, t. 136, f. 105-114v.

⁷⁶ APF, *Acta S. Congregationis*, t. 137, f. 93-96v.

⁷⁷ Accusationes in 4 punctis digestae fuerunt: 1. quod sit simoniacus, sacra vendens; 2. in oratione et lectione non defixus; 3. in dioecesi raro resideat; 4. incontinentis; APF, *Scriff. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Rut.*, t. 9, f. 53-67v.

⁷⁸ *IBID.*, t. 9, f. 89.

⁷⁹ *IBID.*, t. 9, f. 58-67v.

Nuntii Visconti crimina enumerata affirmari videbantur⁸⁰ et eodem adhuc a. 1762 Breve hortatorium ad Philippum Wolodkowycz expeditum fuit,⁸¹ quo monebatur, ut vitam suam ad meliorem ordinaret modum. Sincere vel non, Wolodkowycz rectiorem vitae rationem ingressus, iam post aliquot menses, Metropolitano Hrebnyckyj vita functo, in Metropolitanam Cathedram, tamquam Coadiutor cum iure successionis, successit. Ad instantiam Nuntii (4 Augusti 1762),⁸² Wolodkowycz suam successionem Sedi Apostolicae communicavit, retentionem Ecclesiae Vladimiriensis⁸³ expetendo. Characterem eius bene perspectum habens S. Sedes, eius successionem non aliter approbavit, nisi sibi in Coadiutores Episcopos bonae aestimationis, Leonem Szeptyckyj et Antonium Mlodowskyj, eligere vellet. Eodem adhuc anno vertente (10. Nov. 1762) Nuntius Congregationem de Prop. Fide de consensu Wolodkowycz certiore reddidit.⁸⁴ Hoc modo pax interna Ecclesiae Unitae constabilita fuit, nisi quamdam discordiam inter Metropolitanam et Franciscum Salesium Potocki, Palatinum Kioviensem excipias, qui iam a. 1760 in suis amplissimis bonis centum ecclesias parochiales extruere in animo habuit, cui intentioni Wolodkowycz, praetextu exiguae dotis, canonicam negabat erectionem.⁸⁵ Sancta Sedes proinde in Ucrainam Episcopum Ryllo misit, qui iam a. 1764 retulit, se plus quam 50 Ecclesias erexisse et totidem numero erigendae desiderabantur.⁸⁶

Quod Synodum attinet, Wolodkowycz, praeter difficultates provenientes ex parte Basilianorum ac quorundam Episcoporum, impediabatur praecipue propria debili indole.⁸⁷ Parum curans de vita interiori ad temporalem Eparchiarum administrationem potius attendebat. Adversarios habuit

⁸⁰ « Tanto i Secolari, quanto gli Ecclesiastici interrogati da me nella presente occasione sopra la vita e costumi del detto Prelato, dicono, ch'egli è molto ingiusto e violento; che quando ha qualche pretensione sopra dei Beni, non tratta le cose amichevolmente, ma fa delle opposizioni con gente armata, e a forza ancora di omicidi vuole occupare ciò che pretende appartenergli. Pretendono, ch'egli è di pochissima edificazione presso loro e lo chiamano inutile alla Chiesa... Appartiene ora a codesta S. Congregazione il provvedere alla imminente rovina della Chiesa Greco-unita, quando essa debba essere regolata da un tale Metropolitano, seguita che sia la morte del presente ». Informazione di Monsignor Nunzio a Sua Eminenza il Signor Cardinale Spinelli, Varsavia 10 Febbraio 1762. APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Moscovia, Pol. Ruteni*, t. 9, f. 67v-71v.

⁸¹ APF, *Lettere della S. Congregazione* (a. 1762), t. 200, f. 174v-175v.

⁸² APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Rut.*, t. 9, f. 106-107v.

⁸³ *IBID.*, t. 9, f. 108-108v.

⁸⁴ *IBID.*, t. 9, f. 132-133.

⁸⁵ PELESZ, *op. cit.*, II, p. 529-30.

⁸⁶ APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Rut.*, t. 9, f. 345; Cf. PASTOR, *op. cit.*, XVI/1, p. 1048.

⁸⁷ PELESZ, *op. cit.*, II, p. 529.

ubique in Clero, propter nimia gravamina.⁸⁸ Etiam in Aula Regia parum valebat et inter inimicos eius apertos primus Regni Cancellarius, Andreas Mlodziejowski erat.⁸⁹ Nolumus sane eum de omnimoda incapacitate accusare; plus temporibus adversis et circumstantibus luctuosis et politicis tribuendum est.⁹⁰ Eius tentamina ac cura de nova Synodo cogenda optimum ei perhibent testimonium. Suam iurisdictionem insuper etiam super Religiosos extendere quaerebat et facultatem sibi monasteria visitandi a S. Sede procurare frustra contendebat.⁹¹ Cum dissidentibus pariter rigore procedebat;⁹² exorta Confoederatione Barensi, quae motum dissidentium plerumque comprimebat, Wolodkowycz statim ei nomen suum dedit eique omnimode favebat.⁹³

Controversiis et litibus nimis indulgebat, et propterea tum vires tum tempus ei minime suppetebat de curanda administratione spirituali, praesertim hisce luctuosis in circumstantiis.⁹⁴

Iam paulo post frustratam Synodum novam iniit controversiam cum suis Coadiutoribus de iurisdictione super Decanatus aliasque parochias Braclavienses et Kiovienses.⁹⁵ De ea tamen tractare longum esset, cum per annos protracta et nequidem Nuntiorum Durini et Garampi interces-

⁸⁸ « È incredibile quali, e quanti siano stati i ricorsi, che da tutte le parti e specialmente dal Palatinato di Kiovia sono mi venuti contro i Sacerdoti, ed Ufficiali Greco-Uniti dipendenti dall'odierno Metropolitanato. In questi lamenti sempre conchiudesi, che nulla può sperarsi dal carattere di un tal uomo, perchè sia per riparare a tanti disordini, e che è necessario, che vi si spediscano da me le commissioni ». *Relatio Nuntii ad Card. Spinelli; APF, Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Rut.*, t. 9, f. 134v.

⁸⁹ CHOTKOWSKI W., *Historia polityczna Kosciola w Galicyi za rządów Maryi Teresy*, t. I, p. 118.

⁹⁰ Similis opinio invenitur apud THEINER, *Die Neuesten Zustaende der katholischen Kirche beider Ritus in Polen und Russland...*, p. 258, Augsburg 1841.

⁹¹ APF, *Lettere della S. Congregazione*, t. 202, f. 361.

⁹² LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 114-16; cf. KOJALOVIC M., *Istorija voznosjedenenija zapadno-russkich Unijatov starych vremen*, p. 161, S. Petesburg 1873.

⁹³ APF, *Lettere della S. Congregazione*, t. 215, f. 135.

⁹⁴ « Fu sventura che in tempi così critici per l'Unione parecchi suoi vescovi, e in modo particolare il metropolita, non fossero all'altezza del compito. Egli aveva inteso, è vero, come a suo tempo Leone Kiszka, di convocare un sinodo per l'abolizione dei molteplici abusi e delle innovazioni che anche dopo Zamostja si erano introdotte nella Chiesa unita. Il sinodo, come s'è visto, non aveva avuto luogo per ragioni di politica interna. Poco dopo sorsero tra lui e i suoi colleghi contrasti, che diminuirono credito alla Chiesa e ne indebolirono la forza combattiva ». AMMANN, *op. cit.*, p. 375.

⁹⁵ THEINER, *l. cit.*, IV, II, p. 161.

sionibus sedata, solum eius morte die 2 Februarii 1778, in oppido Human, terminata fuisset.⁹⁶

Successit ei iure successionis Leo Szeptyckyj, vir fortissimus,⁹⁷ a quo multa propter familiaritatem in Aula Varsaviensi sperabatur;⁹⁸ tamen inopinata ac praematura mors (a.1779) eum ex hac vita surripuit, expectationesque cleri et populi frustravit.

5. Ad activitatem pastoralem et tentamina Synodum cogendi explicanda necessum videtur ut quaedam de eius relatione cum Basilianis et Episcopis dicantur.

In reformatione Religiosorum aa.1742-43 peracta, Basiliani ius exemptionis adepti sunt, quod privilegium, perseverante Metropolitano in exercitio suae pristinae iurisdictionis, strenue defendebant. Singulae questiones videbantur iam solutae a.1756, quo, Decretali Summi Pontifici Benedicti XIV, Basiliani quoad regimen internum exempti, in cura vero pastorali Episcopis submissi declarabantur.

Etiam occasione Synodi convocandae Wolodkowycz parum de exemptione curabat Basilianorum et exinde quamdam oppositionem passus

⁹⁶ Metr. Wolodkowycz tractatum speciale meret conscribendum, qui a nemine adhuc scriptus esse videtur. Acta ad eius vitam spectantia, praeter auctores laudatos: PELESZ (p. 529-34, 703-05), AMMANN (p. 375, 379), LIKOWSKI (p. 114, 129-40), BARTOSZEWICZ, in: *Encyclopedyja Powszechna*, XXVII, p. 768-74, — partibus exstant in ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 32, 33, 68, 108, 109, 110; de moribus deque lite cum Francisco Salesio Potocki habetur in vol. 89: de lite cum Coadiutoribus tria narrant volumina eiusdemque Nuntiaturae Varsaviensis, nempe vol. 90, 91, 92.

In APF, disiecte de eo acta inveniuntur: *Acta S. Congregationis*, t. 136, f. 105-114v; t. 137, f. 93-96v; *Congregazioni Generali*, t. 799, f. 63-63v; *Congregazioni Particolari*, 131, f. 505-518v; *Decreti della S. Congregazione*, t. 2, f. 502; t. 3, f. 65v-66; *Istruzioni*, t. 3, f. 345-46; *Lettere della S. Congregazione*, t. 202, f. 361; t. 215, f. 135; *Scritture rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Ruteni*, t. 9, f. 58-71v; 106-107v, 132-134v, 196-211, 591-92v, 345, 392, 454-62.

⁹⁷ AMMANN, *op. cit.*, p. 379.

⁹⁸ Iam ante Coadiutoris officium sic eum Nuntius laudibus extollebat: « Mons. Szeptyckyj oltre alle sue ottime qualità si congiunse lo splendor de' Natali, così i primari Personaggi del Regno sonosi adoperati alla Corte in di lui favore, ed egli infine sia ottenuto il Regio diploma per la Coadiutoria. La buona intelligenza, che si passa tra i Vescovi e Senatori Latini mi fa sperare che quando sarà vestito del carattere di Metropolitano potranno più facilmente sopirsi le controversie, che sempre isorgano tra l'uno, e l'altro Rito ». APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Ruteni*, t. 9, f. 132-33.

est.⁹⁹ Difficultates praevidens, Nuntius Breve pro Basilianis speciale obtinuit, omnia quoque mentione litterarum convocatoriarum Metropolitanorum, hortatione solummodo usus;¹⁰⁰ e contra, in Brevis, ad Wolodkwyz ceterosque Episcopos exarato, solita adhibita fuit forma, quae iam sub tempore Synodi Zamostianae viguit.¹⁰¹ Antequam Breve pontificium ad manus Basilianorum pervenisset, ipsi duplicem postulationem ad Nuntium transmiserunt, nempe ut eos « ab actu onerosissimo interessendi Synodis Diocesanis et Provincialibus » liberare dignaretur.¹⁰² Dissensio haec, quae in vigilia Synodi exorta est, Nuntii Apostolici animum valde contristavit qui libenter, Sede tamen Apostolica annuente, officio Praesidis renuntiare paratus erat.¹⁰³ Praeterea Basiliani aliam adhuc quaestionem S. Congregationi, nomine Protoarchimandritae Hipatii Bilinskyj resolvendam proposuerunt.

1) utrum in Synodo, praeter Protoarchimandritam, Abbates, Consultores Generales ac Provinciales, debent intervenire Consultores ipsorum PP. Provincialium?

2) supposita ultimum praesentia, utrum, praeter P. Protoarchimandritam, omnes Religiosi praesentes votum definitivum habebunt?

⁹⁹ « Io peraltro vado penetrando, che possano promuovere la pretensione di non esser tenuti ad obbedire al Metropolitanano, dalla cui giurisdizione sono essi esenti, allegando, che al tempo de Sinodo di Zamoscia il loro Ordine non era ancora ridotto alla giusta forma regolare, ma che però non ricuserebbero d'intervenirvi, se fosse loro comandato dall'autorità della Sede Apostolica. Quanto sia necessario il loro intervento, apparisce sì dalle materie da trattarsi, concernente la riforma degli abusi del loro rito, di cui essi compongono la parte più ragguardevole, sì dell'esser il loro ceto quello, onde traggonsi tutti i Vescovi ed Abbatii Ruteni ». Relatio de die 15. Maii 1765; APF, *Congregazioni Generali*, t. 810, f. 309-10, vel ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 74, f. 141-42.

¹⁰⁰ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 16 (originale); vide eum in parte documentali.

¹⁰¹ Card. Castelli, e propria domo die 9. Iunii 1765, ita scribebat ad Secretarium Congregationis de Prop. Fide: « Il Breve scritto al Metropolitanano deve essere secondo le norme di concilio di Zamoscia. L'altro per il Proto-Archimandrita, Provinciali, e Consultori suddetti *dovrà essere ortatorio, e non precettivo*, e nè dovrà farvisi menzione della convocazione, che ne ha fatto il Metropolitanano ». APF, *Congregazioni Generali*, t. 810, f. 307-308.

¹⁰² Epistulae de die 16 et 17 Iunii 1765; ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 17-18v.

¹⁰³ « Ho l'onore di accusare il ricevimento dei Brevis riguardanti il Sinodo dei Greci Uniti da V. E. inviatimi, dei quali per altro ho creduto di non doverne far uso: primieramente, perchè io non mi trovo in grado di potervi assistere per le ragioni, che V. E. potrà rilevare, se avrà la bontà d'intendersela coll'Emmo Segretario di Stato, che ho distintamente ragguagliato di tutto, in secondo luogo, *perchè so esservi dissensioni grandissime tra quel Clero secolare e regolare* e ciò avrebbe piuttosto cagionato dello sconcerto... ». APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Rut.*, t. 9, f. 444-444v. Epistula a ex die 31. Iulii 1765, cuius copia invenitur in: ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 74, f. 144-45.

3) utrum spectat denique praecedentia P. Protoarchimandritae super Abbates sui Ordinis?¹⁰⁴

In Congregationi Generali die 12 Augusti 1765 relatione habita Card. Galli responsum fuit ad primum et secundum: intervenire Synodo debere, praeter Abbates et Protoarchimandritam, Provinciales et Consultores Generales; votum tamen definitivum competere tantum Protoarchimandritae et Abbatibus; ad tertium: praecedentiam in actibus synodalibus deberi Protoarchimandritae super Abbates.¹⁰⁵

Haec definitiva responsio, qua quaestio cum Basilianis resolvebatur, die 17 Augusti 1765 Nuntio communicata fuit.¹⁰⁶ Unicus solum P. Karpinskyj, Provincialis Ordinis Basiliani in Lithuania, documento pontificio reclamavit et iam post frustratam Synodum inutiliter suis rationibus S. Congregationem onerabat.¹⁰⁷

Ad Episcopos quod attinet, duos tantum nominamus, quorum opiniones aliquid contradictorii prae se ferre videntur. Primus, iam nobis notus, Coadiutor Metropolitanus Leo Szeptyckyj, Episcopus Leopoliensis (1749-1779), de quo sat rectum iudicium exhibet Nuntius,¹⁰⁸ litteris ad Nuntium die 1 Februarii 1764, tempore nempe interregni, datis Synodi dilationem ad tempora tranquilla suadebat.¹⁰⁹

Alter, Athanasius Szeptyckyj, Episcopus Peremisiensis (1762-79), senex bonis dotalibus per avulsionem spoliatus ac per continuam Cleri vexam in iurisdictione perturbatus,¹¹⁰ qui vix potuit manum admovere ad procurandam Iudicio Tribunalis Regni defensionem, suae displicentiae causas ita describit: « duo hic perpendenda veniunt: primum, quod materias Synodi de repenti communicatas indigestas habeamus, quibus coordinatis Brestae

¹⁰⁴ APF, *Congregazioni Generali*, t. 810, f. 295-98.

¹⁰⁶ APF, *Acta S. Congregationis*, t. 135, f. 270-74v.

¹⁰⁵ APF, *Lettere della S. Congregazione*, t. 206, f. 342-43.

¹⁰⁷ APF, *ibid.*, t. 208, f. 129-264; Epistulae die 12. Aprilis et 16. Augusti a. 1766.

¹⁰⁸ « Il suo (= del Metropolitanano) Coadiutore vescovo di Leopoli dotato di talenti mediocri potrebbe giovar più del Metropolitanano, ma è da temersi che non secondi troppo i voleri della Corte e delle familie Czartoryski e Poniatowski ». THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 95; activitatem eius episcopalem videsis apud PELESZ, *op. cit.*, II, p. 672-76.

¹⁰⁹ « L'esito di più del Sinodo non può sperarsi buono e felice, a causa ch'ogni cosa resterà immutata e scompigliata sì riguardo all'intraprendere i viaggi, quali saranno pieni di varia gente trascorrente e di truppe trapassanti, che nè Tribunali chiamati Catturi, nè quali non s'attende l'ordine solito, ma come sono Giudizi straordinari, non s'ammette ne meno l'appellazione, perciò chi non è cauto, soccombe a tutto rigore ». ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 2-3.

¹¹⁰ PELESZ, *op. cit.*, II, p. 689-92.

longior praerequisiteur mora; secundum, de necessitate sequitur, actum condescensionis favore citati expediendum fore sine personali huic mea assistentia, cum vix sperare possim reditum ob longioris itineris incommoda ».¹¹¹ Actum condescensionis opinamur fuisse Decretum ex Tribunali Regni, vel ex Curia Metropolitana ad resolvendam quaestionem de fundis, eum inter ac Clerum, iam longe agitatam.

Haec fuerunt, si tandem ultimas subnectere liceat animadversiones, Synodi Berestensis remota, externa et interna, obstacula.

¹¹¹ Epistula die 4. Iulii 1765; ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 19.

CAPUT III
DE FRUSTRATIONE SYNODI

1^o Notitiae praeliminares. — 2. Nuntii Apostolici Visconti frustrata opera; Synodi dilatio. — 3. Immediata tentamina; obduratio Regis; finis controversiae.

Obstaculis visis, quae Synodi Berestensis celebrationem plusminusve impediabant, in ultimo capite partis historicae de ipsa frustratione cum praevis pertractationibus Nuntii Visconti nomine Curiae Romanae cum Regno polonico factis, indagare proposuimus. Cum auctores, admodum pauci,¹ summis digitis rem nostram tetigerint, placet eam nobis in luce documentorum ineditorum exponere.

1. Synodus Berestensis, quae recte sub nomine reformationis liturgicae venit, nata iam fuit in mente Metr. Floriani Hrebnyckyj a. 1761, qui ad hunc scopum Congressum Novogrodecensem convocavit. Congregati Episcopi, praeter quaestiones proxime ad bonum regimen Provinciae pertinentes, de reformatione liturgica deliberabant, cui solum modo Synodus Provincialis opitulari potuit. Collatis insuper inter se consiliis, subsidium charitativum Reipublicae Poloniae Regique Augusto III in summa 127.400 florenorum polonorum miserunt, « ea sub conditione, ut Rex aequali prosequatur amore gentem ruthenam sicut polonam ».²

Mortuo F. Hrebnyckyj, cui mox secutus est Augustus III, non moriebatur opus inceptum. Commissio Antesyndialis, occasione praefati Congressus ad vitam vocata, prosequabatur suum laborem. Iam a. 1762, vivente adhuc Floriano, Episcopus Turoviensis Antonius Mlodowskyj, qui videtur magnam partem habuisse in elaboratione Decretorum Antesyndalium, ad Nuntium exemplar deliberationum hierarchici Congressus Novogrodeciae absoluti transmisit.³ Mox et neoelectus Metr. Philippus Wołodkowycz eo studia sua convertit, ut Synodum pro die 1 Augusti 1764,

¹ Cf. PELESZ, p. 502-506; LIKOWSKI, p. 81-82; PASTOR, p. 1048; MALINOWSKI, p. 197.

² PETRUSEVYC, *Svodnaja Haljtsko-russkaja Litopys*, t. I, p. 216.

³ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 1.

sub tempus nempe interregni, intimaret.⁴ Consilio tamen Nuntii praemonitus, in quo non parvi ponderis erat voluntas Episcopi Szeptyckyj, eam ad tempus Regnantis Poloniae electionis differre debuit. Idcirco litteras convocatorias in universam Provinciam Ruthenam directas ad tempus revocavit.⁵ De hisce rebus Nuntius Apostolicus Eugenius Antonius Visconti⁶ Curiam Romanam informavit,⁷ patefaciens pariter praefatam Synodum esse necessariam pro tot tollendis abusibus ritualibus controversiisque insuper Episcopos Graecos inter ac Latinos sedandis. Roma utcumque Synodo favebat⁸ et S. Congregatio de Prop. Fide voluit omnia in ea modo observari, quae practicata fuerunt in Synodo Zamostiana.⁹ Decreto die 3 Aprilis a. 1764 extradito, Nuntius Visconti Synodi Praesidens nominabatur,¹⁰ facultate munitus resolutiones synodales decerni ac statui, ita tamen, ut decreta in suspenso remanerent eorumque executio, donec a Congregatione Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praeposita, examinata et approbata non fuerint, differri debeat.

Tranquillitate publica aliquantulum per electionem novi Regis restituta, opus inchoatum reviviscere coepit. Sessionibus antesynodalibus in Curia Metropolitana conclusis, decreta projective statuta ad revisionem Nuntii praesentata fuerunt.¹¹ Iam dies pro inchoanda Synodo 26 Augusti 1765, iuxta novum Calendarium in Festum Graecorum Assumptionis Deiparae incidens, destinata erat. Litterae convocatoriae denuo missae fuerunt.¹² Sed

⁴ Litterae convocatoriae, sicut patet ex secunda earum publicatione, prima vice extraditae fuerunt die 1 Ianuarii a. 1764, quod et confirmatur epistula Episcopi L. Szeptyckyj die 1 Februarii eiusdemque anni ad Nuntium data, qua Synodi dilationem ad tempus electionis novi Regis suadebat.

⁵ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 10.

⁶ Vitam et activitatem huius Nuntii cum sufficienti bibliographia vide: V. MEYSZTOWICZ, *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis*, p. 13-17, Vaticani 1944.

⁷ Copia epistulae de die 25 Februarii 1764 in: ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 74, f. 106-107, vel APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Ruteni*, t. 9, f. 277-79.

⁸ Die 7 Novembris 1764, Card. Castelli ita scribebat ad Nuntium: « Mi rincresco non poco, che siasi dovuto dare a V. E. Ill.ma l'incommodo di presiedere al futuro Sinodo de' Vescovi Greco-Uniti, ma sono sicuro, che lo zelo di Lei farà soffrirle volentierissimo quest'incarico. Sono altresì certo, che sotto la di Lei savia direzione le cose anderanno benissimo, e riusciranno di maggior Gloria di Dio, e di vantaggio alla Religione. Avrò quindi in seguito il contento di aver fatto questo bene... ».

ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 94, f. 4.

⁹ APF, *Lettere della S. Congregazione*, t. 204, f. 200-201.

¹⁰ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 5 (originale).

¹¹ *IBID.*, f. 8.

¹² *IBID.*, f. 79-80 copia; lege transcriptionem in parte documentali nostrae dissertationis.

in cursu tam veloci praeparationis oblitum fuit de unica instantia, quae mox fortalitiū insuperabile evasit. Erat gubernium polonicum. Procellae initium videtur dedisse epistula Metropolitanī ad Regem (2 Maii 1765), qua punctum praevīsae a Nuntio controversiae initium habuit.¹³ In ea enim Metropolitanus Regi solum factum Synodi convocandae nuntiabat, eiusque in tam gravi negotio auxilium protectionemque supplicavit. Sed hoc non sufficiebat; oportebat consensum regalem ac benevolentiam expostulare. Qua de causa Rex indignatus erat coram Nuntio et exprobrationem suam Metropolitanō durioribus verbis in rescripto inculcavit.¹⁴ Facultas Synodi convocandae unice ei, tum quoad Metropolitanum actualem, tum quoad eius succedaneos reservabatur; defectus consensus regii erat impedimentum dirimens pro Synodi celebratione. Hac dumtaxat vice, cum Metropolitanus eius expostulasset opem, consensus non denegabatur, sed eum novo praetextu involvit Stanislaus Augustus, mandandi nempe suos delegatos seu commissarios laicos, qui Synodo praeesse debuissent.¹⁵ Decanus Commissionis Regiae destinatus erat Stephanus Gedroic,¹⁶ Episcopus Livoniae, cui instructio ex Cancellaria Regni, 6 puncta complectens, extradita fuit.¹⁷

Per se instructio regia, nihil suspicionis continere videtur, neque Romae pro tali existimabatur. Praeter generales indicationes, monetur Commissarius, ne in materias synodales respicientes ipsum internum gubernium ritus uniti, se ingerat, sed in passivitate maneat; propositiones, e contra, aut conclusiones, quae auctoritatem regiam, iura Reipublicae et integritatem Collatorum Beneficiorum derogarent, retrahere debet. Scopus idcirco commissionis, tenore instructionis, erat invenire media, quibus serpentibus odiis Unitos inter ac Latinos obviari ex parte possit, ac insistere ut perlegatur Memoriale a schismaticis porrectum et ex Synodo detur realissima informatio, quae ad responsum eidem Memoriali inservire valeat.¹⁸ Circa hoc ultimum iam alibi notavimus: Synodo non celebrata ex Episcopis regredientibus, quibus videlicet aliquomodo sub tempus Berestensis

¹³ ASV, *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 62-62v, vel *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 85-85v.

¹⁴ « Insuper etiam hac sua dicta altera epistula nuntiatoria dumtaxat, non autem (ut par fuit) expostulatoria, pervigiles Nos in Jura Nostra Regia fallere in animo suo statuit. Facile igitur colliget Sinceritas Vestra non per alium, quam per se ipsam stetit, quominus communis Ritus sui necessitas suum sortiatur effectum. Nos interea paterne... » etc.; ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 87v-88, vel *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 68-68v.

¹⁵ PELESZ, *op. cit.*, II, p. 503-504.

¹⁶ Alii Commissarii fuerunt: Tadeusz Lipski et Josephus Sosnowski, secretarius. Cf. LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 81-82.

¹⁷ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 84-84v; *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 112-112v.

¹⁸ Lege totam instructionem in documentis adnexis.

commorationis instructio legatorum patefacta fuit, immediate solum Jason Smogorzewskij et Heraclius Lisanskyj insufficientem responsum dederunt. Post annum elaboratam dedit responsionem Episcopus Antonius Mlodowskyj, qua molimina dissidentium acute reprobavit.¹⁹ In ultimo puncto instructionis Archimandriae religiosorum tangebantur, eae nempe, quae ad collationem regiam et dispositionem Protoarchimandritae Ordinis S. Basilii pertinebant, pro quibus omnibus accuratam numericam specificationem reddere debebat Decanus Commissionis.

Sic in via Synodi superposita fuit petra, pro qua removenda erat absoluta necessitas.

2. In Synodi negotio Nuntius Visconti suam principalem habuit partem. Qua in re expertus fuit. Deficiebat solum, sicut fere omnes Nuntii in Polonia, cognitione idiomatis, quod illa aetate pro magna parte regionis vulgare erat.²⁰ Hunc defectum cum dolore omni ex parte perstringimus cum non raro debuisset Nuntius in effrenato cursu Diaetarum tacere, quando oportebat loqui. Nihilominus suis consiliis scriptis et oralibus non semel animos populorum excitare satagit. In Curia Augusti III acceptissimus erat; principi Clementi, filio Regis, qui ad clericalem destinabatur vitam, in Capella Aulica primam contulit tonsuram.²¹ Apud Regem Stanislaum, quamvis excelsa non spectabat, pro litterarum artiumque protectore aestimabatur; influxus Petropolis videtur fuisse causa subtilissimae inter eos insinceritatis, cui mox quaestio Synodi Berestensis non levem addidit ansam suspicionis.

Pertractatio eius cum Rege coepta est sub finem mensis Aprilis a. 1765 opinamur, cum praecedentia documenta de ea silent et posteriora nonnisi die 1 Maii incipiunt; ante epistolam scriptam a Metropolitano die 19 Aprilis, qua terminum pro Synodo inchoanda a Nuntio exostulabat simulque diem 26 Augusti suadebat,²² non late vulgata erat, quamvis colloquia de proposita quaestione inter eos iam fuerunt. Sententia Nuntii, de imminente Synodi Provincialis celebratione, Regi mira ac insolita apparebat.²³ Praeter suum consensum putabat se ipse aequae ius habere mittendi suos legatos, supponens talem praxim introductam iam fuisse in Synodo Zamostiana inque Capitulo Dubnensi Patrum Basilianorum a. 1743 habito. Mox inda-

¹⁹ LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 82-83.

²⁰ Cf. A. MARTEL, *La langue polonaise dans les pays ruthènes*, Lille 1938.

²¹ V. MEYSZTOWICZ, *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis*, p. 16.

²² ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 9.

²³ Relatio Nuntii die 1 Maii 1765; ASV, *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 57-60v; *Arch. Nunz. Vars.*, t. 55, f. 100-104.

gine facta a Nuntio rationes inductae carere fundamento apparuerunt, quia in Synodo Zamostiana nemo delegatorum Status assistebat, dum in Capitulo Dubnensi deputatus erat Episcopus Luceoriensis ad instantiam faciendam reintegrationis Archimandriarum regiae collationis, quae suppressas fore a monachis Basilianis reformatis dicebantur. Adducebat etiam Nuntius praescriptum Benedicti XIV, qui in opere « *De Synodo Dioecessana* » (lib. III, cap. 9) determinavit Episcopos modo spontaneo debere invitare saeculares, et numquam permittere introductionem legis libertati ecclesiasticae noxiae. Sed eius instantiae respuebantur a Rege, cui etiam Ministri favebant.²⁴ Afferebantur ab eis reflexiones negativae, quae ex Synodi celebratione potuerunt manare bono publico Status; inter principaliores erant Episcopatus ac Archimandriae regiae nominationis, atque quaestio dissidentium, quorum tutelam, secundum tractatum cum Moscovia, habebat Respublica polona. Iam primae suffundebantur nebulae. Exitus actionis erat dubius atque in manibus Nuntii positus; Synodum differre nimis praemature videbatur quodque, post tot dispositiones praemissas, ipsi displicebat,²⁵ et pro eius celebratione, novis adhibitis mediis, instare remanebat via. Pendente toto negotio, cum in indignatione regia de consensu ageretur, secrete per suum procuratorem P. Karpinskyj²⁶ insinuavit Metropolitanò, ut quantocius Regem de Synodo convocanda informet, eiusque assistentiam ac protectionem impleret.²⁷ Eodem fere tempore mentem S. Sedis inter-

²⁴ « Ma ogni mio sforzo non è bastato per far loro conoscere l'insussistenza della pretensione, mentre mi si rispondeva, che l'esempio del Sinodo di Zamoscia deve riputarsi un abuso, e che in un Regno ben regolato non si ha da tollerare l'unione d'un ceto considerevole, che forma una gran parte della Nazione, senza che il Re lo permetta, e che per mezzo dei suoi Deputati invigili, che non s'intraprenda cosa veruna contraria agli interessi dello Stato ». *IBID.*, relatio die 1 Maii 1765.

²⁵ « Mi pareva altresì, che non convenisse diferire l'intimazione del Sinodo, dopo che si erano già date tutte le disposizioni, e fatti tutti i preparativi, tanto più, che non intimato subito non si sarebbe potuto tenerlo più in quest'anno, poichè per le distanze dei luoghi è necessario, che l'intimazione proceda almeno tre mesi »; *IBID.*, relatio die 1 Maii 1765.

²⁶ *ASV, Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 89.

²⁷ « Per fine ben conoscendo quanto sia tenace il presente governo dei principi, che si propone, e però diffidando di poter, col tempo, farlo desistere dalla pretensione mi sembrava, che non vi potesse essere miglior disimpegno, che mettermi in un stato *di poter subito intimare il Sinodo*, e poi senza venire ad alcun trattato con quale si potesse dire riconosciuto anche dal Nunzio e dalla Corte di Roma, o in tutto, o in parte, il preteso diritto di Sua Maestà, far in modo, che il Metropolitanò ultroneamente partecipasse al Re, che si è stabilito di tener questo Sinodo, per promuovere il bene della Religione, con implorare la di lui assistenza e protezione acciocchè più facilmente si possa ottenerne il bramato intento »; *IBID.*, *l. cit.* relatio Nuntii die 1. Maii 1765.

rogavit. Hoc modo putabat Visconti se posse Regem aliquantisper mitigare, eiusque primam, non adhuc obductam, indignationis cicatricem lenire. Ad maiorem effectum obtinendum destinavit, ut petitio Metropolitanus characterem spontaneum prae se ferre deberet, quin aliqua eius personalis ad hunc actum inductio manifestetur. Obtento insuper Regis formali consensu, etiam quaestio legatorum - putabat Nuntius - facillime solvi potuisset.²⁸ Metropolitanus tamen, quamvis Nuntio festinanter obtemperavit eiusque epistula iam die 2 Maii in Cancellaria Regni ad acta relata fuit,²⁹ haud intellexisse videtur eius intentum, cum sua dumtaxat epistula nuntiatoria, non vero expostulatoria,³⁰ Regis indignationem auxit. Nihilominus formalis consensus habebatur; quaestio tamen legatorum remanebat ulterius insoluta.

Ex duplici actione Nuntii, Metropolitanum inter ac Regem, difficile praevideri potuit effectus. Stanislaus Augustus quamdam segnitiem monstrare videbatur, quod intercessionibus - affirmare audemus - eius Consultorum, praesertim Andreae Młodziejowski, Vicesecretarii Status, non parum hic debetur. Etiam Nuntius consiliis secretis non erat destitutus. Exemplar regii responsi ad Metropolitanum prae manibus habuit, eique mox pariter secreta insinuavit, ut Synodum in diem iam accennatam 26 Augusti iuxta novum, 15 vero iuxta vetus Calendarium convocet.³¹ De reclamatione Basilianorum facta occasione intimationis iam scimus. Nuntius tamen prosequeretur in sua via: duo Brevia, sub die 15 Iunii 1765, ad Metropol-

²⁸ « Solo vi resterà la difficoltà dei Deputati, i quali parmi, che potranno riceversi, quasi mandati dal Re, per mostrare, che accorda al Sinodo l'assistenza e protezione, che li è stata richiesta dal Metropolitanus ». *IBID.*, relatio, 1 Maii.

²⁹ Hoc patet ex rescripto regio; cf. *ASV, Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 87, vel *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 68-68 v.

³⁰ « Qui però si era trovata qualche difficoltà, perchè, con questa lettera dal Metropolitanus non si domandava al Re la permissione, ma solo se gli chiedeva protezione. Tutta volta Sua Maestà passando sopra a ciò, risponderà ad esso, mostrando gradimento che il Sinodo si faccia, sicchè io anderò innanzi a far fare gli atti convocatorii »; epistula Nuntii, die 15. Maii 1765: *ASV, Nunz. Pol.*, t. 278, f. 61; *Arch. Nunz. Vars.*, t. 55, f. 104-105.

³¹ « Ho ricevuto segretamente da terza mano copia della risposta del Re al Metropolitanus di Russia, che accludo a V. E., continuando a mostrarmi affatto inscio di questo affare. Ho per altro per mezzo di persona sicura fatto insinuare a Mons. Metropolitanus, che non publichi onninamente, e che intanto convochi il Sinodo per il giorno 26 di Agosto. Quanto ai Deputati, che si intedevano mandare al Sinodo, non ne ho inteso più far parola, e neppure se ne fa menzione nella lettera. Starò a sentire, se si promoverà più questa pretensione. Se non si vuol permettere di tener il Sinodo, parebbe, che con tal contegno nelle presenti circostanze si garantisce alla meglio dal canto nostro la libertà ecclesiastica », t. 278, f. 67.

Epistula Nuntii, die 22 Maii 1765; *ASV, Arch. Nunz. Vars.*, t. 55, f. 105; *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 67.

tanum cum universis Episcopis unum, ad Basilianos hortativum alterum, eius curis ex Secretaria Status extradita fuerunt.³²

Interea, die 1 Iunii venit exspectata informatio ex Urbe.³³ Regis novitatibus, quae evidenter libertati ecclesiasticae contrariae erant, S. Sedes se opposuit.³⁴ Prima earum, petitio nempe praeviae licentiae et consensus, magis tolerabilis censebatur ac cum spiritu Ecclesiae compatibilis, cum semper species alicuius ex convenientia respectus exhibi solebat Principibus, si agebatur de actibus publicis in eorum territorio celebrandis. Altera vero quoad legatos immoderata fuit ac praeiudicialis, cum praeter irregularitatem intrusionis potestatis civilis in actum mere iuridico-ecclesiasticum, quae Episcopos praecedentiae privabat facultate, impediretur quoque libertas totius synodalis operationis.³⁵ Pro hac idcirco secunda postulatione abroganda, Nuntius iterum fortiter debebat instare. Ad motiva regia repellenda, tenore praesentis instructionis, nonnisi tres viae indicatae caute adhiberi poterant:

a) Nuntius, Synodi Praesidens ac Promotor, Regi promittet se sedulo invigilare, ne quidquid iuribus eius contrarium aut publicae tranquillitati noxium statuatur, sine praecedenti Regis intimatione;

b) si vero contigerit quidquid ex inadvertentia in Synodo statui, quod Regi displicuisset, hoc semper, ad omnem eius nutum, ab executione suspendi posset;

c) ultimo loco materia synodalis potuit Regi communicari.

Ultra inductas moderationes procedere praecludebatur via.³⁶ Si Rex, in suis opinionibus persistens, legatos ad Synodum mitteret, tunc Nuntius

³² Cf. documenta adnexa sub finem

³³ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 40, f. 68-72. Quaestio Synodi, S. Congregationi de Prop. Fide proposita, in congregationibus particularibus soluta erat. Cf. APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Ruteni*, t. 9, f. 489-94v.

³⁴ « L'una è l'altra novità è contraria alla libertà della Chiesa, ed al costante ed universale possesso, in cui la medesima si ritrova, non solo in Polonia, ma in tutte le Provincie Cattoliche di fare simili atti, senza che vi si immischi la potestà laicale ». *IBID.*, t. 40, f. 68 ss.

³⁵ « Mentre oltre l'irregolarità di vedersi sedere in figu a principale i laici in una radunanza di Vescovi, rimarranno per tal guisa prive di libertà tutte le operazioni del Sinodo, specialmente per trattarsi di una Nazione, qual'è Rutena, povera, abietta e priva di credito e di potere per resistere a chi sarà rivestito della Regia autorità ». *IBID.*, t. 40, f. 68 ss.

³⁶ « E qualora questi suggerimenti non avessero persuaso la Corte, era meglio disintimare il Sinodo, che lasciar introdurre una novità, la quale ammessa una volta, diverrà un perpetuo stabilimento e per conseguenza recherà sempre il sommo pericolo per tutti i Sinodi avvenire, che i Ministri Regi andassero ad impadronirsi di tutte le risoluzioni sinodali per regolare a loro modo tutte le cose ecclesiastiche ». *IBID.*, t. 40, f. 70.

abstinere deberet ab omni ambiguo signo confirmationis, multo magis a Synodi praesidentia, quae esset documentum solemne pro eorum approbatione, simulque dedecus dignitatis et auctoritatis pontificiae. Talis fuit mens S. Sedis; quaestio legatorum, quae Nuntio apparebat posse resolvi, post expostulatum a Metropolitano ac obtentum regium consensum, tamquam eorum passiva assistentia, quae ceteroquin esset signum regiae protectionis ac benevolentiae, nunc iudicabatur tamquam dedecus auctoritatis pontificiae, limitatio ecclesiasticae libertatis et per consequens impedimentum dirimens pro Synodi celebratione.

Novae ac insperatae notitiae venerunt etiam a Metropolitano; iudices nimirum ex Tribunali Regni, seu ex malevolo bonum publicum Ecclesiae ucrainicae invidente instinctu, seu ad instantiam adversarum partium, ex absentia Metropolitanus iniquum lucrum sperantium, seu tandem aliis de causis, soli Deo notis, aliquot Commissiones et Inquisitiones in bonis ucrainensibus peragendas, prohibitis omnibus dilationibus et limitationibus, sub tempus indictae Synodi designarunt, in quibus comparere personaliter ad emittenda Lege Patria praescripta iuramenta, uti istorum bonorum actor, Metropolitanus tenebatur.³⁷ Tentatis multiplicibus mediis ab utraque parte nullus reperiebatur modus, quo a necessitate personalis comparitionis Metropolitanus expediri posset, cum aequae hac obligatione gravatos fuisse Episcopum Premisliensem Athanasium Szeptyckyj et Episcopum Leopoliensem Leonem Szeptyckyj, eius Coadiutorem, quem putabat Metropolitanus sui vices supplere posse. Duo Episcopi Szeptyckyj, uti iam suo loco vidimus, videntur fuisse Synodo contrarios, vel potius quibusdam decretis materiae synodalis. Non deerant voces Nuntio delatae, Commissionem Tribunalitiam artificiose ab ipsis procuratam esse.³⁸ De veritate huius asserti pauca scimus et altius contendere non audemus nisi solido, quod deest, innixi fundamento.

Interea Nuntius praeparabatur ad officialem cum Gubernio pertractationem. Roma, iam secunda vice, repetebatur monitum Clementis PP. XIII.³⁹

³⁷ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 13 (Epistula Metr. Wolodkowycz ad Nuntium, die 13. Iunii 1765).

³⁸ « Ostacolo, il quale si sarebbe potuto togliere con cercare la dilazione delle medesime Commissioni, e che al credere di alcuni si era artificiosamente procurato dai Vescovi di Leopoli e di Premislia per impedire il Sinodo, essendo essi malcontenti di alcuni progetti fatti nelle Congregazioni antesinodali in favore del Clero »; epistula Nuntii Romam, 24 Augusti 1765; ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 55, f. 118-19.

³⁹ « Rincesce molto a Nostro Signore, che si coltivino da cotesto Sovrano tali massime, e che si dia da lui ascolto a chi consiglia a restringere la libertà, di cui la Chiesa è stata fin ora in Polonia così largamente in possesso »; epistula die 25 Iunii 1765; ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 40, f. 72-73; *Nunz. Pol.*, t. 238, f. 67v-68.

ab instructione data non erat recedendum. Sententiam quapropter S. Sedis, in Pro-Memoria gallice redacta,⁴⁰ die 30 Iunii praesentavit Nuntius Magno Cancellario Regni, Andreae Zamoyski. In ea, iam nobis nota, exponebatur: legatio regia ad Synodum provincialem libertati Ecclesiae, deliberandi ac statuendi quidquid ad bonum regimen dioecesium pertineat, officitur; Synodus praedicta unicum scopum habet, bonum scilicet internum suae hierarchiae, proinde nihil contrarii iuribus regiis, vel tranquillitati publicae afferetur; talis est mens S. Sedis, quae traditione freta Synodorum praecedentium in Polonia, credit Regem de veritate dictorum facile persuasurum esse, dum in casu contrario ipse ordinem habet Synodo non assistendi. Nota Nuntii, teste Zamoyski, non erat statim Regi communicata. Iam secunda die (1 Iulii 1765) respondit Nuntio Andreas Zamoyski et inquit de materiis in Synodo pertractandis, deque asseverationibus, quod in Synodo nihil contra Leges Status atque Iura Regis acturum erit.⁴¹ Si non ignorantia, tunc certe effugium deliberatum fuisse Magni Cancellarii, affirmare audemus, cum in Pro-Memoria de obiecto synodali deque asseverationibus factis nomine S. Sedis abunde narratum fuit. Sciebat Nuntius quantum potest formalitas Polonorum; iam die 3 Iulii scriptum dedit sponsonis testimonium.⁴² Mox et illud insufficiens apparuit, cum die 6 Iulii, praemissis videlicet secretis consiliis coram Rege, scribebat Zamoyski Nuntio, Regem obligatum esse etiam de futuro tempore providere, proinde sperare non licet semper tam honestos et recti animi Nuntios (qualis est actualis), in Aula Regia habere. Eius sponsio Regi insufficiens apparet, cum semper aliquis membrorum Synodi opinionem contrariam, ex improvise exhibitam, sustinere potuerit, quod in praeiudicium tempori futuro cederet. Quamobrem unica via felicitis exitus maneat notam seu elenchum materiae synodalis Regi ad revisionem praesentare, ipsamque etiam *resolutionem finalem Synodi* priusquam publicaretur.⁴³ Postulata Gubernii

⁴⁰ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 91; *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 80-80v; THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 80, nr. XXXIV; cf. partem documentalem dissertationis.

⁴¹ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 92-93; *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 80v.

⁴² « Je ne saurais mieux assurer Sa Majesté qu'au futur Synode des Grecs Unis on n'établira rien qui puisse être contraire aux lois du pays et aux droits de Sa Majesté, qu'en m'offrant moi-même pour garant qu'en qualité de président, je ne permettra, pas même qu'on y propose de matières, qui puissent porter la moindre atteinte à ses prérogatives, et à celles de la Noblesse ». ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 97; *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 81.

⁴³ « Je crois que le moyen dont Votre Excellence a parlé elle-même à Sa Majesté, seroit plus convenable de donner une note à Sa Majesté de ce qu'on doit traiter à ce Synode, et de plus, de faire à Sa Majesté *du résultat du Synode avant qu'il ne fut publié* ». ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 96-96v, vel *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 81-81v.

differebant a concessis Nuntio moderationibus, in quibus caute et ultimo loco dicebatur de materiae synodalis *communicatione* deque suspensione quorundam ex inadvertentia statutis punctorum, quae Regi displicere potuissent minime vero de approbatione totius resolutionis synodalis ante eius publicationem. Hac vice Nuntius timuit ne daret scriptum responsum; astutia Polonorum generabat in ipso novas suspiciones. Non omisit tamen, privato colloquio cum Magno Cancellario habito, easdem repetere rationes, quae et iura regia et libertatem Ecclesiae asseverabant. Opportunum denique ducebat dare ei exemplar proiectivae materiae, ab Episcopo A. Mlodowskyj post sessiones antesynodales conclusas receptum, quo, ut visum erat Nuntio, non potuit contentum reddere Magnum Secretarium.⁴⁴ Etiam Episcopi polonici, ex quibus nominat Primatem Wladislaum Lubienski et Vice-Secretarium Coronae Andream Mlodziejowski, ad partem Regis inclinabant eiusque postulata non ambigue defendebant.⁴⁵

Non longe exspectabat Nuntius decisivam responsionem. Pro-Memoria die 10 Iulii 1765, nomine Regiae Maiestatis et Reipublicae Poloniae extradita, duas condiciones irremovibiles pro cogenda Synodo exhibebat: 1) authenticam notitiam de serie tractandorum cum sponsione scripta de eius finali, ante publicationem, Regis approbatione, et 2) praesentiam regiae legationis.⁴⁶ Hisce placitis neque Nuntius, neque S. Apostolica subscribere potuerunt. Exempla adducta Synodorum Berestensis (1596) et Lublinensis (1680), in quibus legati Status assistebant, extra casum fuere indicavit ipsa S. Sedes,⁴⁷ cum in prima ageretur de conversione gentium ad gremium Ecclesiae catholicae, quae, plena periculis a potentibus principibus, quibus massa populi adstabat, sine auxilio Status difficilis et impossibilis reddebatur, dum in secunda frustrata Lublinensi, in qua catholici et schi-

⁴⁴ « Infatti avendo ricevuta dal Gran-Cancelliere la replica della quale ne acchiudo parimente la copia, non volli render risposta in iscritto, sembrandomi, che non convenisse... che però cercai di abbocarmi col Gran-Cancelliere, al quale resi la copia dei progetti, che si sono formati circa le materie da trattarsi nel Sinodo, e di nuovo gli feci capire, che anche dopo il Sinodo, avrebbe avuto campo il Re di dichiarare, se fra i decreti sinodali vi era qualche cosa contraria ai suoi diritti. Il Gran-Cancelliere, quantunque accettasse la copia dei progetti, *non si mostrò però soddisfatto della renitenza che mostravo a mettere in iscritto ciò che significavo in voce...* ». Relatio Nuntii, die 10 Iulii 1765; ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 55, f. 109-113; *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 75-79v; THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 83.

⁴⁵ *IBID.*, relatio die 10 Iulii 1765.

⁴⁶ Authenticum ac nostro iudicio originale documentum invenitur in ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 94-95v. Transcriptiones: ASV, *Nunz. Pol.*, t. 278, f. ∞ 9-90; THEINER, *l. cit.*, IV, II, p. 82, nr. XXXIV; lege documentum in nostra parte documentali.

⁴⁷ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 40, f. 75-78.

smatici participarunt, opus esset potestatis civilis ad tumultum sedandum. Invanum Quaerebat Nuntius, eadem die, altera Pro-Memoria confecta, Regem ab hisce praecautioibus abstrahere.⁴⁸ Responsum erat negativum et a decisionibus stabilitis non erat recedendum.⁴⁹

Nihil sane dubitamus, Stanislaum Poniatowski iuribus ac privilegiis Ecclesiae, quae paulo antea solemniter in « Pacta Conventa » promulgata fuerunt, abusurum fuisse.⁵⁰ Aetate illa, qua Unionis auctoritas et fundamentum temerario ausu ubique concutiebatur, opus erat ut Rex, suae sponsonis ac iuramenti Sedi Apostolicae facti firma retinens mente, hanc Unionem cognosceret in suaque supernaturali significatione rite observaret, veluti necessarium non modo Ucrainorum spirituale et politicum tutamentum, sed etiam suae ipsius procurandae famae et auctoritatis regiae principium. Sed hoc omni ex parte desiderabatur: Poloni illius aetatis Unionem non intellexerunt. Civium interest salvam esse patriam asserebant; sed nequidem hoc obtinuerunt.

De novissimis eventibus Nuntius Romam certiozem reddit die 17 Iulii.⁵¹ Praeter Regem cum ministris accusat ipse Principem Czartoryski, avunculum Regis et Praesidentem suae politicae partis, cuius voluntas dominans erat in Aula Regia.⁵² Communicavit etiam Metropolitano novitatem (18 Iulii) de mittendis ad Synodum regiis deputatis, suosque, ab hoc consilio ecclesiasticae libertatis laesivo dimovendo, frustratos conatus, simulque notum ei fecit, ut, circumstantiis rite perpensis et ponderatis, ea peregrisset quae ipsi circa praefatam quaestionem opportuna videbuntur.⁵³ Interea in expectatione duplicis responsi, negotiis inceptis se expedire tentabat.

⁴⁸ « Le Nonce ayant remarqué par la réponse donnée à son Mémoire du 30. Juin sur l'affaire du Synode des Grecs Unis, que Sa Majesté pourroit pour cette fois se dispenser de toute inquiétude sur le Synode actuellement en question, vu l'attachement fidel que Sa Majesté a lieu de se promettre de tous ses sujets, et nommément de ceux du rit grec, en considération de la bienveillance sincère et efficace du St. Père ». ASV, *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 90-90v; *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 106-106v; THEINER, *l. cit.*, IV, II, p. 82.

⁴⁹ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 103; *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 90v.

⁵⁰ Cf. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 504-505.

⁵¹ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 55, f. 113-115; *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 87-98v. Epistula die 17 Iulii 1765.

⁵² « Da un discorso da me tenuto ieri col principe Czartoryski Palatino di Russia, dal quale credo che dipende la risoluzione più che nessun'altro, non posso lusingarmene, mentre persisteva nel dirmi, essere troppo necessario, che io comunicchi autenticamente i progetti sinodali, ed assicuri in iscritto, che non si pubblicheranno le deliberazioni, se prima non saranno state approvate da Sua Santità ». *IBID.*, epistula die 17 Iulii 1765.

⁵³ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 79, f. 340.

Nam simul et satis sese iam ab ipsis Polonis instructum sensit, quid pro tam intricata quaestione, undique susurrationses hostiles passae, habendum esset, destinavit, ut omissis formalibus scriptis confidensque plane suo artis loquendi ingenio, negotio Synodi oretenus vacaret. Colloquiis habitis cum Rege et Zamoyski indutiae quaedam introducebantur. Fuitne hoc successum, vel mutatio eorum opinionum, dubitamus. Mox ipse Nuntius in sequenti relatione (24 Iulii) ad Curiam Romanam eorum mentium obdurtiorem aperte confitebatur. Ex eadem relatione clare patet quam debilis fuit propria auctoritas Regis respectu partis politicae « Czartoryski », cuius gratia coronam Regni tenebat.⁵⁴ Persistentes igitur in prima conditione, secundam ex parte mitigarunt, cum legati ad tenorem mox extraditae regiae instructionis potuerint, consilio habito cum Nuntio, vacare sessionibus mere ecclesiasticis et assistere dum tractarentur puncta respicientia iura saecularium.⁵⁵ Quae etsi fortasse scite dicta videntur, attamen fallacia non carent; nec mirum est novis hisce moderationibus easdem in discrimen adduci veritates, pro quibus tam multum certabatur.

Ulterioribus consiliis ac instantiis Nuntius undequaque circumclusus erat; exspectabat responsum Metropolitanum, qui profectus erat in partes remotas Ucrainae. Dum periclitabatur res tam magni momenti non deerant notitiae hostiles clanculum divulgatae: dicebatur de aperta actione Episcopi Leopoliensis Leonis Szeptycky contra Synodi adunationem; de alio Episcopo, qui legatorum praesentiam, ad instar Synodi unionistici Berestensis (1596), ornamentum esse putabat; accusabatur etiam Metropolitanus, quod aegre ferret Nuntii Visconti ad Praesidem Synodi nominationem; unicus Clerus saecularis -dicebatur- miser ac oppressus cum paucis protectoribus Synodum credebatur esse nimis necessariam.⁵⁶ Quid veritatis latebat in hisce assertis difficile est dictu, dum rationes eorum, si tandem ambitum Unionis respicimus, facile intelliguntur. Nuntius videlicet de veracitate non conquiebat, cum angustias domesticas iam ab initio sibi perspectas habuisset. Erant luces et umbrae: ex una parte flagrantibus et ardentibus, ex alia pavidae et incertae. Sed unquam ferme sicut nunc videbat operis insuccessum. Hoc

⁵⁴ « Poi poco a poco viddi mutata faccia alle cose. Ho però tutto il fondamento per credere, che non siansi mutati nè il Re, nè i Ministri, ma il colpo è venuto dal Principe Czartoryski Palatino di Russia, zio di sua Maestà. L'ho conosciuto dai discorsi con esso tenuti, ma più chiaramente ancora me lo ha detto in confidenza il Gran-Cancelliere della Corona, e fosse vi avrà contribuito ancora l'altro fratello il Principe Czartoryski, Gran-Cancelliere di Lituania, quantunque sia lontano da Varsavia ». Relatio die 24 Iulii 1765; ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 55, f. 116-118; *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 92-94v.

⁵⁵ *IBID.*, relatio 24 Iulii 1765.

⁵⁶ *IBID.*, relatio die 24 Iulii 1765.

aperte confitebatur in epistula (1 Augusti) ad Rectorem Collegii Rutheno-Armeni Leopoli, quamvis nondum habebat responsum S. Sedis, neque Metropolitanus.⁵⁷

In suis tamen opinionibus non erat delusus. Roma, interea, recepta epistula (3 Augusti) eius gesta cum approbatione laudabantur⁵⁸ et cum confidentia exspectabatur actionis exitus. Sed utraque pars persistebat in suis conditionibus; urgebat tamen tempus iam destinatum. A personali comparitione in Commissionibus ucrainensibus Metropolitanus usque adhuc se expedire non potuit sicut et duo Episcopi Szeptycki, qui ulterius persistebant in opinione, Decreta projective in Congregationibus Antesyndodalibus formata emendatione indigere, simulque Metropolitanum urgebant, ut Synodi celebrationem ad annum differet. Quocirca ne ulterioribus querelis occasio praebatur, Metropolitanus, audito consilio quorundam Episcoporum, iam die 7 Augusti a. 1765 Nuntio responsum dedit, Synodum ad annum prorogandam et in diem 26 Augusti a. 1766 transferendam esse.⁵⁹

Sic solvebatur quaestio Synodi a. 1765. Iam secunda vice differebatur ad annum venturum; ad tertiam tandem annuam dilationem non pervenit, cum mox violenta aggressio dissidentium, quae usque ad primam divisionem Poloniae se protraxit, oculos omnium ad suam existentiam defendendam convertisset. In ipsa Hierarchia ucrainica conflictus initus erat Metropolitanus inter et Coadiutores de iurisdictione super decanatibus Braclaviensibus et Kioviensibus, qui, perlonge protractus, non parvum attulit Unioni detrimentum.

3. E Curia Romana autem, ante Nuntii videlicet de novo passu Metropolitanus informationem, currebat epistolarum commercium. Tres id genus epistulae nostro iudicio recensendae sunt. Prima earum (10 Augusti 1765) respondebatur ad relationem Nuntii de die 7 Iulii; laudabatur ipse de suis reprobationibus factis ad Pro-Memoriā regiam, eiusque praesertim binas

⁵⁷ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 79, f. 343-44.

⁵⁸ « Con tutto ciò non lascio di significarle l'approvazione, che Nostro Signore si è compiaciuto dare a quanto da Lei si è operato con il Re, e con il Gran-Cancelliere per impedire l'assistenza dei Regi deputati al Sinodo medesimo. Ha anche saviamente pensato in essersi astenuto da metter in iscritto quei temperamenti, che da me le furon suggeriti per assicurar Sua Maestà, che non si sarebbe nel Sinodo nulla trattato in pregiudizio dei diritti regi, o della Repubblica ». ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 40, f. 74-75; *Nunz. Pol.*, t. 238, f. 69-69v.

⁵⁹ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 21.

novitates.⁶⁰ Altera vero longiore (17 Augusti), qua respondebatur relationi de die 24 Iulii, iterum insistebat S. Sedes, novis placitis de partiali assistentia Polonorum iam cognitis, ne Nuntius Synodo interveniat; in casu Synodi dilationis, Metrop. decisionem approbet et insequatur, cum sperare licet de novis futuro tempore faciendis moderationibus; exempla adducta de assistentia legationis civilis in Synodis Berestensi (1596) et Lublinensi (1680) nullam habent paritatem, cum contraria exempla Synodorum Kobrinensis (1626) et Zamostianae (1720) aequè adduci possent; hortatur in fine Nuntius, ut cum zelo et efficacia loquatur Regi et Episcopis latinis de amaritudine doloreque Summi Pontificis ex novis iniuriis introductis; modus eorum neque gratiam, neque favorem meret Sedis Apostolicae.⁶¹ De Synodi dilatione rationibusque adductis a Metropolitano, Nuntius nonnisi die 24 Augusti Sedem Apostolicam certiore reddidit.⁶² Notitia eius videtur tarde pervenisse, cum in epistula Card. Torrigiani de die 31 Augusti, iam tertia ex ordine, Synodi dilatio adhuc suadebatur.⁶³

Ex dictis iam exacte colligere possumus, Ecclesiam perseveranter defendisse suam libertatem, quae videbatur laedi per pertinaciter se ingerentem brachium saeculare. A suis propositionibus non desistit, cum nullo modo melius, quam novitatibus resistendo aperitur veritas et falsitas confutatur. Nova placita Polonorum, quamvis cautionibus et clausulis ab utraque parte adhibitis aliquantisper in sua specie externa moderari potuissent, tempori tamen futuro praeiudicium haud leve afferebant, cum una vice introducta consuetudo difficulter abrogeretur.

Usque ad finem anni 1765 quaestio legatorum occupabat mentem Nuntii et Sedis Apostolicae. Scripta de hac re ab utraque parte prodierunt quamvis Nuntius cum Rege ac Ministris quaestioni solummodo oraliter vacabat. Haec erat pro ipso unicum obiectum eius ministerii tunc temporis.⁶⁴

⁶⁰ « L'uno e l'altro progetto è contrarissimo alla libertà della Chiesa; inde ha fatto benissimo V. S. Ill.ma a non acconsentire a veruno di ambedue, e quanto non vi sia altro compenso stia pur costante nella massima di non assistere al Sinodo ». ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 40, f. 75.

⁶¹ ASV, *ibid.*, f. 75-77.

⁶² « Monsignor Metropolitano ha preso il partito di differire il Sinodo sino al 26 d'Agosto dell'anno venturo, ha assegnato per motivo, che i Vescovi di Leopoli e di Premisla, ed egli stesso erano obbligati per alcuni decreti del Tribunale secolare di assistere circa il tempo, che si era fissato per il Sinodo, ad alcune Commissioni riguardanti i confini dei beni dei loro rispettivi Vescovadi ». ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 55, f. 118-19.

⁶³ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 40, f. 78; *Nunz. Pol.*, t. 238, f. 72.

⁶⁴ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 56, f. 322; *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 98.

Notitia de Synodi dilatione, abstrahendo etiam a motivis Metropolitanis, S. Sedi undequaque placuit; erat enim unica via felicitis exitus.⁶⁵ Spes de futura solutione non erat totaliter extincta, quamvis ex relatione Nuntii de die 18 Septembris nihil boni praevideri potuit.⁶⁶ Magnitudinem operis eius, quam impense immediateque post Synodi dilationem insumit, ex eius relationibus existimare licet.⁶⁷ Privatus erat auxilio non solum Episcoporum Unitorum, qui, « minimae considerationis » in Corona,⁶⁸ dispersi erant in vastis partibus ecclesiasticae Provinciae et nemo eorum Varsaviae residebat, sed etiam Episcoporum latinorum, qui circa hanc quaestionem aut dubios haesisse, inter quos Primas Lubienski renuntiatus est, aut suis opinionibus ultra conceptum, quem vocamus « catholicismum » progredientes, claram visionem de Unione et per consequens de Synodo non habebant.⁶⁹ Rex tamen eis non est adnunerandus; iudicio Nuntii, habebat ille ingenium,⁷⁰ sed praemature in laqueos tsarinae Catharinae II et suae politicae factionis lapsus erat. Cum eo Nuntius videtur difficillimam partem pertractationum habuisse. Extra dubium est, Regem de interna

⁶⁵ « Ha sentito Nostro Signore con piacere l'avviso, che il Sinodo de' Ruteni sia stato differito ad un'altro anno. Qualunque ne sia stato il motivo, che ha preso il Metropolitaniano, ciò giova molto per la controversia dei Deputati, che il Re vi voleva far assistere in suo nome. Se il tempo può dar luogo a maneggi di V. S. Ill.ma, se ne approfitti ». Epistula die 7 Septembris 1765; ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 40, f. 78-79; *Nunz. Pol.*, t. 238, f. 72v.

⁶⁶ « Io per mia parte ho già tentato tutte le vie possibili senza alcun frutto, nè più mi rimane che proporre in questo particolare ». ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 55, f. 119-20; *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 105-106v.

⁶⁷ Quatuor id genus relationes ex a. 1765 reperiri possent; 18 Septembris, 1 Octobris, 2 Octobris et 30 Octobris.

⁶⁸ Cf. THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 95-97, excerpta ex litteris Nuntii Visconti.

⁶⁹ « Dei Latini poi altri non intendono il merito e l'importanza dell'affare, e la meraviglia in certa guisa, che si pensi ad escludere dal Sinodo i Regii Commissarii, e uno di questi, che non capiscono nulla, è il Primate. Altri avrebbero zelo e buona volontà, ma sono affatto privi di potere, e di significato; altri finalmente sono devoti e attaccati alla Corte per i loro privati interessi, come costa dall'esempio del Vescovo di Livonia, il quale non ha avuto difficoltà di essere compreso nel numero dei Regii Deputati al Sinodo ». Relatio ex 18 Sept. 1765; ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 55, f. 119-20; *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 105-109v.

⁷⁰ « Il Re ha talento, cognizioni e sopra tutto un desiderio vivissimo di riformare, se potesse in un giorno tutto il Paese e tutta la Nazione per elevarla allo stato delle altre Nazioni più colte. Questa voglia congiunta con un temperamento vivo, fa, che non sempre dia luogo a tutta la riflessione prima d'intraprendere, e che abbracci con soverchia prontezza ogni proposizione e progetto, che gli vien fatto sotto un'aspetto favorevole e geniale ». ASV, *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 243.

compositione sui Regni edoctum fuisse; novem dioeceses Unitorum eius speciali attentioni non fugierunt, eorumque externa expansio, quae fere totam Ucrainam Occidentalem, partem nempe fertilissimam eius Regni, iam occupavit, secum ducens etiam motum nationalem, qui plerumque illo tempore non discernebatur a progressu ecclesiastico, periculo non levi separationis exponebat Gubernium polonicum. Unitorum denique evolutio occasionem frequentem dabat dissidentibus ad novas querimonias in Senatu movendas, qui exinde semper aliquid pati debebant, cum augmentum unius partis deminutionem alterius supponeret.

Perspectam sibi habebat Rex utramque partem, non solum sub tempus imminentis Synodi celebrationis, sed etiam annorum gradibus praecedentis historiae. Prima earum, religione vicinior, admodum lente evolvebatur dum protectorem politicum non habebat; secunda, religione extranea, minabat cotidie patriam, cum protectorem vidisset in tsarina moscovitica; pro praetextu movendo serviebant Uniti. In exitu viarum stabat Rex: primam partem, originis suae catholicae ac sponsionis Sedi Apostolicae factae memor, haud dubie protegere voluit, quin tamen praeiudicium afferret Statui ex tam manifesta indignatione alterius partis, quae secum ducebat internum tumultum, qui mox in calamitatem publicam verti potuisset. Qua de causa videtur Regem neutralitatem servare cupiisse, quod idem sit ac inter duo paria minus malum eligere. Modum eius ut exprobremus tam longe sumus, ut potius necessarium ducamus; sed fragilitatem hic nemo est qui non videat, cum minus malum hac vice fuerit Ecclesia Catholica et, per consequens, Sedes Apostolica. Gesta Synodi Berestensis sunt nobis documento,⁷¹ quae, si tandem rem affirmatam non complete evincant, vix tamen aliis aequi ponderis superabuntur. Ad rationes adductas Nuntii, quae fundamentum suum videbantur haurire ex historia Poloniae,⁷² atque post tot emissas sponsiones de integritate iurium

⁷¹ En testimonium Nuntii: « Con questo Sovrano ho già compiuto alla parte impostami da V.E., nei termini più energici, che richiedeva l'affare e strettamente coerenti alle istruzioni ricevute... Non trattarsi già *d'impedire le risoluzioni del Sinodo, o di violare la libertà ecclesiastica*, ma unicamente *di prevenir ogni disturbo e disordine*, che facilmente sarebbe per nascere, aver egli il Re da combattere perpetuamente *colla Corte di Pietroburgo, che sta cogli occhi aperti su gli andamenti degli Uniti, perchè non vengano pregiudicati i suoi Scismantici*. Esser quella Corte su questo punto indocile e minacciosa, e convenir a lui usar tutta l'arte, zelo e fatica per eluderne le varie pretensioni, e fino i sospetti. Nel rimanente il Re si espresse con diffuse e replicate proteste, che nulla gli stava più a cuore, che l'articolo della Religione, la Persona del Papa e la Dignità della S. Sede ». Relatio die 2 Oct. 1765; ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 55, f. 124-26; APF, *Scritt. rif. nei Congressi: Mosc. Pol. Ruteni*, t. 9, f. 484-86.

⁷² Relatio Nuntii die 1 Octobris 1765; ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 55, f. 122-24.

civitatis deque necessitate plenae synodalis libertatis, praesertim Unitis,⁷³ vix potuit Stanislaus nova excogitare argumenta, nisi repetendo privilegia sui officii ad Coronam defendendam.⁷⁴

Iam apparebat finis controversiae, cum quaestio sine effectu de die in diem procrastinaretur. Synodi suspensio, quae usque adhuc spem fovebat⁷⁵ alicuius positivae solutionis, iam evasit gravis atque molesta pro utraque parte et Nuntio non leve taedium afferebat. Etiam Sedes Apostolica, quae videlicet ex Synodi dilatione non alium scopum habebat, nisi quaestionem legatorum resolvendam suamque libertatem, inter tantas tamque implexas illius aetatis asperitates insidiasque schismaticorum, perneccesse defendendam, e Nuntii relationibus edocta de tentatis multiplicibus mediis, quae optatum finem neque ex parte invenerunt, dum a legatorum assistentia non recedebatur,⁷⁶ iam inclinabat ad Synodi abrogationem.⁷⁷ Ultima, quam invenimus, epistula Card. Torrigiani ad Nuntium videtur esse scripta die 26. Octobris a. 1765.⁷⁸ Instructio regia pro legatis ad Synodum Berestensem, iudicio Cardinalis, non est offendens, neque religioni contraria; praesentia tamen legatorum nullo modo permitti potest.

Quid deinceps a Nuntio factum est, facile praevidere possumus, quamvis documenta posteriora silent. Solum ex eius excerptis de rebus polonicis (24 Septembris 1766) scimus Metropolitanum, eius consiliis obesequen-

⁷³ « ... che finalmente la presenza di tali Deputati è altissima ad imbarazzar il Sinodo e ad incuter novella timidità e soggezione a Greci Uniti, che *già son depressi ed avviliti al maggior segno* ». *IBID.*, relatio 1 Oct. 1795.

⁷⁴ Relatio Nuntii die 2 Oct. 1765, loco citato.

⁷⁵ « La dilazione del Sinodo de' Ruteni può produrre due buoni effetti, o che il tempo favorisca migliori aperture per *metter in salvo la libertà della Chiesa*, e per far *svanire la pretensione di spedirvi i deputati Regi* ». Epistula Card. Torrigiani ad Nuntium die 28. Sept. 1765. *ASV, Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 24; *Nunz. Pol.*, t. 238, f. 72v-73.

⁷⁶ *ASV, Nunz. Pol.*, t. 278, f. 127-27v, relatio Nuntii die 30 Oct. 1765.

⁷⁷ « Se il caso del tempo, che deve correre per la convocazione del Sinodo Ruteno non può giovare per fare smontare cotesta Corte dalla pretensione di spedirvi i Regi Deputati, potrà almeno esser utile, *perchè da anno in anno procrastinandosi la celebrazione di questo, alla fine poi non se ne faccia più altro* ». Epistula Card. Torrigiani ad Nuntium die 21. Oct. 1765. *ASV, Arch. Nunz. Vars.*, t. 40, f. 78-79.

⁷⁸ *ASV, Arch. Nunz. Vars.*, t. 40, f. 80; *Nunz. Pol.*, t. 238, f. 73v-74. Fuitne revera ultima, dubitare licet. Acta enim Viscontiana, Nuntii Garampi dispositione, Actis Nuntiorum Serrae et Durini adiuncta sunt, et hodie, cum vix possibile esset ea propter multitudinem disiungere, via archivalis inquisitionis molesta redditur. Cum epistula Card. Torrigiani die 26 Octobris 1765 pro nobis *relative ultima appareat*, eam in ultimis foliis partis documentalis adneximus.

tem, Synodi celebrationem ad tempus indeterminatum distulisse.⁷⁹ In defensione iurium Ecclesiae eiusque potissimum libertatis, cedebat tamquam victima Synodus Provincialis. Talis est vis documentorum novumque, si quo adhuc opus eset, testimonium pro Synodo Berestensi aa. 1764-1766 non celebrata.

⁷⁹ « Ha egli (= Metropolita) aderito alle mie insinuazioni, avendo differito (= il Sinodo) senza limitazione di tempo ». THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 99.

PARS II

DOCTRINA

PARS SECUNDA

SYNODI BERESTENSIS NON CELEBRATAE DOCTRINA

Non nimis abundabit sermo hac in parte. Materia namque synodalis valorem iuridicum nullum prae se habet et, in disciplinam vigentem, nonnisi indirecte - tamquam monumentum historicum reactionis ecclesiasticae contra abusus rituales novaeque retrogressivae tendentiae illius periodi testimonium insimul - quid conferre posset. Ipsa materia eiusque origine, authenticitate ac argumento, in quantum licet, perpensa (cap. I), valorem eius indolemque ex analysi specifica in luce decretorum Synodi Zamostianae et Leopoliensis peracta videbimus (cap. II), demum quae, deficienter hinc illinc in tota expositione desiderentur, generali recapitulatione et conclusione (cap. III) supplere conabimur.

CAPUT I

DE MATERIA SYNODALI

1. Generalis aspectus. - 2. Auctor et origo. -
3. Authenticitas. - 4. Divisio et argumentum.

1. Nulla Synodus sine obiecto seu materia discussionis habetur. Haec, qua talis, nobis deest et solum compendium deliberationum antesynodaliū exstat, cuius copiam seu exemplar probabiliter Nuntius Visconti ab Episcopo Antonio Mlodowskyj receptum,¹ cum Actis Nuntiaturae Romam transmisit. Ipsum vero prae manibus tale exemplar materiae synodalis ha-

¹ Die 6 Aprilis 1765 scribebat Ep. A. Mlodowskyj ad Nuntium: « Conclufum feliciter in Curia Metropolitana a Dominis Delegatis Illustriffimorum Epifcoporum Congregationum Antesynodalium *Opus projectiva pro futura Synodo offerenda Decreta complectens* praesentibus omni, qua per est, reverentia Ill.mae Rev.mae Excell.mae Vestrae Gratiae et Protectioni me supplex comendo, et promptiffimo ad omnia mandata animo profundiffima cum veneratione maneo ». ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 8.

buisse non est hic ambigendi locus, postquam iam notum est nobis de eius « Seriei tractandorum » Magno Cancellario Andreae Zamoyski, tempore durae pertractationis, communicatione.² Neque excludenda est omnino sententia materiam ipse Metropolitanus vel Episcopus A. Mlodowskyj, anima totius operae, Romam transmittere potuisse. Utrum totam materiam seu integrum opus proiectivum, quod in sessionibus antesynodalibus formatum fuit, Romam expedierunt dubitare liceat, cum moris fuisset ex Synodis Provincialibus, post obtentam S. Sedis licentiam atque praevidiam genericam materiae synodalis communicationem, solum Decreta iam statuta approbationi pontificiae submittere, ex quorum tunc, si quibus locus adhuc esset correctioni vel reprobationi faciendae, perfici potuissent. Inventum vero in Archivo Vaticano « Compendium ex materiis Synodalibus ad formandas Constitutiones in Congregationibus Antesynodalibus examinatis et digestis excerptum », ³ videtur nostram opinionem comprobare eamque potius in hanc partem inclinare, id solum, exclusa tota materia, Romam expeditum fuisse, cum Actis immo Nuntiaturae Viscontianae Varsaviae collectis, a qua hodierna series Archivi Vaticani, « *Archivio della Nuntiatura di Varsavia* » (Arch. Nunz. Vars.), nomen suum mutuatum habet.⁴

Difficultatem tamen non levem causat dioecesis Polocensis, ex qua in eodem volumine 99 *Archivi Nuntiaturae Varsaviensis*, penes compendium materiae synodalis, eius « Desideria » in 17 punctis digesta cum restricto abusuum invenire est.⁵ Quo pacto solum eius acta ad Synodum spectantia reperiuntur, omissis ceteris ex octo dioecesibus,⁶ quae, ut par est, solum auxiliae fuerunt ad formandas constitutiones in sessionibus antesynodalibus, difficile explicari potest.⁷ Quaestionem videtur posse dirimere

² ASV, *Nunz. Pol.*, t. 278, f. 75-79 v; THEINER, *Vetera Monumenta...*, IV, II, p. 83.

³ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 33-44.

⁴ « Archivum Nuntiaturae Varsaviensis-est pars autonoma, quae extra Secretariatum Status, Varsaviae crevit inter annos 1757-1794, et nonnisi saeculo XIX inter tabularia, quae vulgo « Archivi Rientrati » dicuntur, Vaticani collocata est. Invenitur in Arch. Nunt. Vars. regesta, minutae, copiae litterarum a Nuntiis ad Secretariatum Status aliosque missarum; e contra, *adsunt originales litterae quas Nuntii a Secretariatu Status et aliunde acceperunt* ». MEYSZTOWICZ, *De Archivo Nuntiaturae Varsaviensis*, p. 4.

⁵ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 64-68v, et 70-76.

⁶ Iam prope opinioni fuimus cetera dioecesium projectiva statuta in aliis fundis amplissimi Archivi Vaticani, vel S. Cong. de Prop. Fide reperienda fore, sed frustrata inveniendi tentamina nullum adusque indicium praebuerunt.

⁷ Desideria dioecesis Polocensis (17 puncta) latine conscripta ad maiorem utilitatem in parte documentalibus collocavimus; restrictum tamen abusuum (104 puncta), cum relativis iam praesumptis responsionibus in lingua vulgari, parumque curata, polonica, omnisimius, quae de cetero praeter difficultatem comprehensionis, nimis particularia apparent proximeque ad vitam internam unius dioecesis referuntur.

ipsa Synodi dilatio ac quorundam Episcoporum dissensus, qui ope suorum delegatorum decreta proiectiva dioecesana retrahere potuerunt, vel simpliciter, Synodo non habita, ad Acta Nuntiaturae non expedire, dum alii, inter quos solus prudens Archiepiscopus Polocensis Jason Smogorzewskij enumerandus esset, ea integra ad archivum Nunziaturae Varsaviensis transferre iudicarunt.

2. A. *Auctor.* In elaborandis Decretis Antesyndalibus magnam partem Antonius Mlodowskij Epp. Turoviensis et Coad. Pincensis habuisse videtur. Ad dictum comprobandum haec rationes adduci possent: vivente adhuc Metr. Floriano Hrebnyckij exemplar deliberationum Congressus Novogrodecensis ab ipso convocati, die 29 Martii a. 1762 Antonius Mlodowskij ad Nuntium Visconti transmisit;⁸ secunda vice, post conclusas feliciter sessiones antesyndales in Curia Metropolitana Vladimiriæ habitas, Decreta Antesyndalia die 16 Aprilis 1765 pariter Mlodowskij Varsaviam expedivit;⁹ Synodo demum non habita, inter Episcopos, qui Memoriali dissidentium responderunt equidem Antonium invenimus, qui nervose eorum postulata in 4 punctis sui responsi digestis, evertibat.¹⁰ Tanta activitas, si non sit signum intimae cognitionis rei, secus difficulter explicanda est. Adnumerandus est pariter Episcopo Mlodowskij sacerdos Georgius Grot-Turkevyc̃, de quo validum testimonium invenimus in Actis Archeographicae Commissionis Vilmensis.¹¹ Tempore nempe posterioris reformationis, coepit ab Archiepiscopo Polocensi Heraclio Lisowskij, necessitas exorta est comparationis quorundam librorum liturgicorum, qui ad instar Euchologii Benedicti XIV edebantur, cum Decretis Antesyndalibus, potissimum in materia Sacramentorum, quae iam in Nuntiatura Varsaviensi non reperiebantur. Idcirco Stephanus Lewinskij, Episcopus-Coadiutor Luceoriensis (1784-95), reformationis, uti patet ex admodum brevi epistula ad Metr. Jasonem Smogorzewskij, oppugnator, haec scribit in fine eiusdem epistulae: « remanent nobis procuranda manuscripta eorum, qui erant electi ad colligendas materias antesyndales, et potissime p. d. Mlodowskij. Ni fallor, *etiam sacerdotem Turkevycz.* ».¹²

⁸ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 1.

⁹ *IBID.*, *l. cit.*, f. 8.

¹⁰ LIKOWSKI *op. cit.*, p. 82-84.

¹¹ AVAK, t. XVI, p. 371. (Epistula Eppi Stephani Lewinskij ad Metr. Jasonem Smogorzewskij, 18. IV. 1786).

¹² Idem in lingua originali: « Restat starac sie o manuscripta tych, którzy byli wybrani ad colligendas materias antesyndales a najbardziej s. p. Mlodowskiego. Zda mi sie, że x. Turkiewicz byl wyznaczony do tey roboty, ale on teraz J. W. Lisowskiemu, jak slyszalem, assystuie; wlozczega! »; *IBID.*, *l. cit.*, p. 371.

Persona sacerdotis Georgii Grot-Turkeyvč satis curiosa apparet. Ex vita eius¹³ revera concludere possumus, eum fuisse vagabundum, cum raro in uno loco mansisset, sed insimul virum doctum, eruditum et philosophum. Eius ideae a contemporaneis propter indolem speculativam parum orthodoxae esse videbantur, praesertim eius sententia de processione Spiritus Sancti. Nihilominus fervens fuit propagator unionis Ecclesiae separatae cum Ecclesia Catholica et ad hunc scopum commercium cum Episcopo Mohiloviensi Georgio Konyskyj habuit. In hac pertractatione differentias dogmaticas ad minimum reducebat, ex qua causa non raro a dissidentibus amice excipiebatur et etiam a posterioribus extollitur.¹⁴ Exinde coeptae sunt accusationes ex parte catholica.¹⁵ Turkeyvč in lucta polemica neglexit suum stabile domicilium et spatio 20 annorum (1776-1796), tamquam missionarius reformationis, ubique commoratus erat, dum fere omnes Episcopi ad quos accedebat libenter eum propter eius ingenium ac scientiam excipiebant. In re liturgica, quae nostra maxime interest, revera fuit magnus zelator pro puritate ritus conservanda, atque propugnator novae reformationis coeptae iam tempore Metr. Hrebnyckyj a. 1761. Documentum, quod dicta comprobaret, ex anno 1782-83 provenit, cum Turkeyvč munere Visitoris in Ucraina Orientali fungeretur, et est relatio eiusdem ad Metr. J. Smogorzewskyj de statu Ecclesiae in Ucraina.¹⁶ In hac relatione Turkeyvč varias exponit causas et motiva, quae populum ad defectionem a S. Unione adducunt. Praecipuum motivum secundum ipsum est *corruptio ritus*. — « Multum quaesivi — scribit ipse — in his locis confinibus, cur rudis populus ad non unitos inclinatur? Unice propter antiquum in sacris celebrandis ritum. Nam ad quaestionem propositam: eratne hic prius Unio an « Orthodoxia », nemo rusticorum respondet, quod

¹³ Praecipuus fons, ex quo notitias de vita Georgii Turkeyvč desumimus, est brevis « *Informatio* », quae invenitur in ASV, *Nunz. Pol.*, t. 344/III, fasc. 93 (non pagin.) inter folia spectantia ad Episcopum Luceoriensem Stephanum Lewinskyj. Probabiliter provenit ex a. 1795. Quaedam de ipso habet M. KOJALOVIC, *Istorija vozsojedinenija zapadnorusskich Unijatov starych vremen*, p. 260-274, S. Peterburg 1873.

¹⁴ Ita M. KOJALOVIC, *op. cit.*, p. 264-67, laudibus eum extollit propter bonam relationem cum « Orthodoxis » et propter eius zelum in reformando ritu Unitorum.

¹⁵ Cf. « *Informationem* » supra citatam et iudicium Episcopi P. Ważynskyj in epistula (20. III. 1791) ad Nuntium Saluzzo; ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 149, f. 450v.

¹⁶ Hanc relationem citat M. KOJALOVIC in opere: *Istorija vozsojedinenija...*, p. 264-65. Documentum originale invenitur in *Archivo Metropolitanarum Unitorum*, lib. IV, nr. 215, cuius copiam vel forsitan originale videbat laudatus auctor Petropoli in Archivo « S. Synodi Orthodoxorum ». Hodie, extra Patriam, documentum originale non invenimus.

« Orthodoxiam » tenebant, vel « orthodoxe credebatur », sed quod « orthodoxe celebrabatur ».¹⁷ In ulteriori suae relationis cursu narrat Turkeyvč, multos non solum ex populo, sed etiam ex sacerdotibus tum dissidentibus tum ad schisma recenter lapsis, solummodo sub illa conditione ad S. Unionem redire paratos esse, si nempe antiquus ritus inviolabiliter restitueretur. — « Si igitur — prosequitur Turkeyvč — idem ritus a S. Sede Apostolica regnante felic. record. Papa Benedicto XIV confirmatus fuerit, uti hoc fuse in encyclica eiusdem felic. record. Benedicti XIV, quam prae manibus habeo, expositum est, nescio, qualenam adhuc impedimentum esse posset, quominus hic ritus reintegretur... Et si hoc factum fuerit, promptus sum vel animam meam in pignus ponere, quod omnes ad S. Unionem revertentur ».¹⁸

Si nunc verba Georgii Turkeyvč cum Decretis Antesyndalibus¹⁹ vel cum quibusdam epistulis Heraclii Lisowskyj comparemus,²⁰ procul dubio, non solum similes ideas, sed etiam expressiones et modum argumentationis invenimus. Ex hac causa, propter eius videlicet ad opus reformationis relationem, Archiepiscopus Lisowskyj eum pro suo collaboratore habuit, eique opus traductionis Euchologii Benedicti XIV in linguam slavicam commisit.²¹ Ex dictis iam deducere licet: supposita veracitate opinionis contemporanei Episcopi Luceoriensis Stephani Lewinskyj in testimonio supra laudato, Georgium Turkeyvč suo influxu, non minori sane quam apud Heraclium Lisowskyj, etiam apud Episcopos tempore Synodi Berestensis gavisum esse, suaque potissime scientia Episcopo Antonio Mlodowskyj in elaborandis Decretis opem praestitisse. Quamvis de modo dictis testimonium explicitum desideratur, nihilominus deficientibus opinionibus contrariis, dicta de persona Turkeyvč quadam notabili probabilitate

¹⁷ KOJALOVIC, *op. cit.*, p. 264.

¹⁸ KOJALOVIC, *op. cit.*, p. 264-65.

¹⁹ Legimus in Decretis Antesyndalibus: « Cum ob multiplices diversas Ritualium editiones introducta sit magna deformitas in administratione Sacramentorum, statuatur S. Synodus, *quatenus Rituale Graecorum jussu S. M. Benedicti XIV Romae editum ab omnibus usurpetur, et adamussim observetur* »; Decr. Ant., art. IV, De Sacramentis tam in genere quam in specie, nr. 1. (ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 35). Similiter in prima paragrapho Desideriorum dioec. Polocensis legitur: « *Liturgiae, juxta Benedicti P.P. XIV. Euchologium, ubique celebrantur...* » (ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 64).

²⁰ Haec similitudo maxime apparet in epistula H. Lisowskyj die 22 Febr. 1789 ad S. Congr. de Prop. Fide (ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 70, f. 302-304v, vel. t. 149, f. 546-547v et ad Nuntium Varsaviensem F. Saluzzo, die 28 Decem. 1786 (ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 149, f. 608-615v).

²¹ Cf. M. M. SOŁOWIJ, *De reformatione Liturgica Heraclii Lisowskyj*, in: *Analecta OSBM*, series II, sectio I, vol. II, p. 74-78, Romae 1950.

gaudent, si tandem — animadvertas velim — clima reformationis eodem spiritu ac tendentia retrogressiva per totum secundum dimidium saec. XVIII perdurasse; si sub tempus suae decadentiae fautores et propugnatores habebat, inter quos Turkeyvč eminentem locum occupabat, non est cur asseramus eosdem initio aliter sensisse et, a fortiori, auxilium suum ad tam vehementem eius expansionem impendisse. Georgium Turkeyvč eiusdemque conaminis per totum tempus fuisse non solum testem ocularem, sed eximium promotorem, nobis videtur, qui, sub finem suae vitae, propter tot tantaque frustrata tentamina, diffidentiam quandam inivit cum Ecclesia, et sua pastorali encyclica, quae, uti recte praesumitur, sine consensu episcopali edebatur,²² fortiter contra ritum Unitorum et indirecte contra ipsam Unionem invehebatur.²³ Sed de ultimis pauca hucusque sunt explorata.

B. *Origo*. Originem ipsius materiae quod attinet, eam esse synthesim ex omnibus dioecesibus provinciae ecclesiasticae indubie asserimus. Ad materias colligendas Commissio Antesyndodalis iam tempore Novogrodecensis Congressus (1761) constituta erat, delegatis nempe uniuscuiusque dioecesis, qui materias dioecesananas generice collectas ad sessiones antesyndodales conferre debuerunt.²⁴ Utrum dicta Commissio in vigore permansit post obitum Metr. Hrebnyckyj, aegre quis concipiet, cum, ascendente ad Cathedram Metropolitanam Feliciano Wolodkowycz, mutari partim in sua compositione, diminui vel augeri, potuissent. Unus, videlicet, qui eam dirigebat Episcopus, Mlodowskyj, per totum tempus permansit. In sessionibus porro antesyndodalibus, quae in Curia Metropolitana Vladimiriæ locum habebant, Decreta projectiva seu materia pro Synodo, ex undique receptis desideriiis dioecesanis ope delegatorum exhibitis constituta fuit; qua talis solebat Synodo proponi et si, postquam mutatis mutandis maioritatem suffragiorum obtinuisset, vim Decretorum haberet, quae adhuc approbatione pontificia egebant. Sed hoc pro casu nostro non contingit; negotia Synodi Berestensis cum sessionibus antesyndodalibus inclusive terminantur, ex quibus solum habemus satis amplum compendium.

Ad Decreta porro Antesyndodalia formanda confluere materias seu desideria ex omnibus dioecesibus habemus iam testimonium memoratae dioecesis Polocensis, cuius « Desideria » ac « Restrictus abusuum » in Archivo Vaticano reperiuntur.²⁵ Praeter eam scriptum testimonium de dioecesi Leo-

²² Ita SOLOWIJ, *op. cit.*, p. 28.

²³ Cf. « *Observationes in Encyclicam* » nomine H. Lisowskyj publicatas; ASV, *Nunz. Pol.*, t. 344/III, fasc. 93, non pag. (Probabiliter provenit ex anno 1796).

²⁴ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 149, f. 572.

²⁵ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 64-68v, et 70-76.

poliensi exhibet nobis Pelesz.²⁶ De aliis dioecesibus quamvis materias eorum pro deliberationibus antesynodalibus destinatas prae manibus non habemus, dubitare non licet, quia unum generale principium totam obligabat Provinciam Metropolitanam.

3. De authenticitate materiae synodalis, quae in Archivo Vaticano invenitur, nullum dubium oriri potest. Eam esse materiam ex Synodo Provinciali Berestensi (1764-1766) non celebrata, omnino patet. Cum soleat critice ad iudicium certum efformandum procedere, signa externa et interna perpendenda sunt:

A. Signa externa:

a) Praeter Synodum Zamostianam per totum saeculum XVIII usque ad finem saec. XIX (1891) nulla Synodus Provincialis in Ecclesia Unita fuit celebrata; nequidem Heraclius Lisowskyj pro sua reformatione liturgica peragenda intendebat Synodi convocationem, sed solum versionem Eucharistiae Benedicti XIV, aliasque librorum liturgicorum editiones.

b) Materiae collocatio in eodem volumine (nunc 99 Arch. Nuz. Vars.) ubi tria originalia Brevia Clementis PP. XIII ad Synodum Berestensem spectantia, ceteraque praecipua documenta inveniuntur, conformem mentem maiorum dispositorum comprobant.

c) Accedit, nobis contemporanea, auctoritas peritorum: Welykyj, Choma, Solowij, Meysztowicz, Mercati.

B. Signa interna:

a) Materia synodalis *unice* respicit disciplinam Ecclesiae Unitae (ucraino-alboruthenicae), et quidem:

b) disciplinam, quae non longe post Synodum Zamostianam novis abusibus irrepsit reformanda erat.

c) Silet de conamine reformationis Archiepiscopi H. Lisowskyj (1786-90) - ergo ante ipsum conscripta fuit;

d) memorat (Art. IV, 1) Rituale Graecorum iussu Benedicti XIV Romae editum (1754) - ergo post ipsum.

e) Titulus desideriorum dioecesis Polocensis nominat tamquam suum Ablegatum P. Clementem Kulikowski, qui, historia teste, secunda me-

²⁶ « Praeparatoria ad statuenda in futura Synodo provinciali Ruthena, ex Dioecesi Leopoliensi A.D. 1763 porrecta »; PELESZ, *op. cit.*, II, p. 935, nota 160.

dietate saec. XVIII vixerat, locumque pro sessionibus antesynodalibus destinatum Vladimiriā, quod veritati respondet.²⁷

f) Subscriptio tandem in fine eiusdemque instructionis: « Datum Strunii anno 1763, die 18. Maji, veteris styli. Jason Archeppus Polocensis mp. » - omnem evellit umbram dubitationis.

g) Ultimum demum signum est contextus et vis interna materiae, quae clamat se esse testem reformationis liturgicae coeptae initio secundae medietatis saec. XVIII in Ecclesia ucrainica.

4. Materiae synodalis divisionem eandem plane fuisse ac inventi compendii deducere licet. Ad hanc deductionem confirmandam non parvi momenti videntur esse *tituli articularum*, qui raro synthesi vel abbreviationi subiiciuntur. Novem articuli cum singulis numeris, qui evidenter canonibus correspondere possent, totam materiam synodalem amplecti debebant. Schematice habes:

Art. 1. De observantia Constitutionum Synodaliū et Synodis Provincialibus (nr. 1-16).

Art. 2. De Fide Orthodoxa (nr. 1-10).

Art. 3. De Doctrina Christiana mediisque aptis et facilioribus quibus plebs erudiri queat (nr. 1-7).

Art. 4. De Sacramentis tam in genere quam in specie (nr. 1-24).

Art. 5. De Ecclesiis, earum ordine, et nitore, nec non divinis officiis publice in Ecclesiis celebrandis (nr. 1-16).

Art. 6. De Metropolitano. (nr. 1-7).

Art. 7. De Episcopis, Ecclesiis Cathedralibus, Archiviis dioecesium, Synodis dioecesanis et Visitationibus (nr. 1-15).

Art. 8. De reformatione Cleri, Scholis slavonicis, Seminariis et Domibus Correctionum (nr. 1-14).

Art. 9. De Parochis, Paroeciis, Jejuniis et Festis (nr. 1-17).

Quamvis de integritate numerica *Articularum* aliqua ceritudo coniecturalis haberi posset, non eadem plane dici queat de integritate numerorum seu canonum²⁸ ac de materia, a fortiori, sub iisdem continenti. Nihilominus

²⁷ Die 6. Aprilis 1765 scribebat Ep. A. Mlodowskyj ad Nuntium: « Conclusum feliciter in Curia Metropolitana a Dominis Delegatis Ill-morum Episcoporum Congregationum Antesynodalium Opus projectiva ». (ASV, Arch. Nunz. Vars., t. 99, f. 8). N. B. Curia Metropolitana *Sedem suam Vladimiriā* habebat, quod confirmatur subscriptione Metr. Włodkowycz in litteris convocatoriis: « Dabantur ad Cathedram Nostram Vladimiriensem », (Cf. ASV, Arch. Nunz. Vars., t. 99, f. 79).

²⁸ In art. V desideratur numerus 9-us, et in art. VIII, numeri 7, 8, 9; defectus eorum scribae inadvertentiae vel saltui imputare licet.

deficientibus particularibus et forsitan quibusdam etiam essentialibus, quae, exstante copia integrae synodalis materiae, in eorum amplitudine videri possent, iudicium nostrum genericum etiam ex compendio formare valemus.

Synodus Berestensis non celebrata sub nomine reformationis liturgicae recte collocari debet. Nec satis. Statuta eius duplicem tendentiam praese ferunt: a) *retrogressivam primam*, plerumque Synodo Zamostianae obversam, et b) *reformativam alteram*, quae, temporis necessitate, pro sublevandis intestinis miseriis atque tot tantisque abusibus extirpandis inservire debebat.

a) Idea cuiusdam « *latinizationis* » est prorsus pro Synodo Berestensi aliena; exoptat vehementer restitutionem antiqui ritus in eius simplici orientali puritate. Ad hunc scopum plura condit statuta. Imprimis Rituale Graecorum, iussu Benedicti PP. XIV Romae editum (= Euchologium Benedicti XIV.), pro usu et observantia in disciplina Sacramentorum praecipit.²⁹ Ex hac introductione administratio Sacramentorum, si non totaliter, saltem in suo aspectu exteriori characterem differentem a Synodo Zamostiana habere debuisset. Cum articulus de Sacramentis in *Compendio* nostro nimis sit abbreviatus ac indistincte totam refert materiam, via ad explicitam et directam argumentationem obscura redditur. Ratione solum deductiva, habentes prae manibus Decreta Zamostiana, quae, in eorum tendentia versus Occidentem latinum, longe distant ab Euchologio Benedicti XIV, tam exaltato per totam periodum secundi dimidi saec. XVIII a fautoribus novae reformationis, hanc viam caute ingredimur. Sed non solum in disciplina Sacramentorum supradicta tendentia apparet. In subsequenti quinto articulo « *De Ecclesiis, earum ordine et nitore, nec non divinis officiis publice in Ecclesiis celebrandis* », expositis his, quae ad constitutionem ecclesiae pertinent, vehementer contra innovationes liturgicas « hominum novitati studentium » invehitur. Quaestiones quapropter omnino liturgicae tanguntur et umbram « *De Sacramentis* » praecedentis articuli indirecte elucescunt. Episcopis inculcatur, ut curam dent, quatenus pristina Ecclesiae et Divinorum Officiorum forma « in quantum fieri potest in Ecclesiis redintegretur ». Item decernitur, ut Magistri caeremoniarum per ecclesias Cathedrales et regulares instituantur, quorum munus erit, strictam observantiam promovere et invigilare, ne consuetudines « Ritui Orientalis

²⁹ « Cum ob multiplices diversas Ritualium editiones introducta sit magna deformitas in administratione Sacramentorum, statuatur S. Synodus, quatenus Rituale Graecorum iussu S. M. Benedicti XIV Romae editum ab omnibus usurpetur, et adamussim observetur »; Decr. Ant., art. IV, nr. 1. (ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 35).

Ecclesiae » contrariae introducerentur. Contra transgressores graves poenae statuuntur.³⁰ Visitoribus, porro, severe praecipitur, ut in visitatione ecclesiarum praescriptorum praesenti constitutione rationem habeant, et si ipsi « negligentia aut humano respectu ducti praesentis legis violationem dissimulaverint », in poenam suspensionis ipso facto incurrere denuntiantur.³¹ Ad normam generalem dandam, cui se omnes ecclesiae conformare deberent, ut restituerentur nimirum « Ritus, et antiqua Disciplina Orientalis Ecclesiae », tam in administratione Sacramentorum quam ceterisque Officiis, deputantur Viri rituum et linguae graecae periti, qui Rubricam seu Typicon, Graecorum Typicis conforme, conficere debent, in quo exacte ratio Divinorum Officiorum peragendorum describeretur. Speciali autem modo insistitur in uniformi S. Missae celebratione, nec non Liturgia cantata, per longum tempus in Orientali Ecclesia exclusive usitata, omnibus diebus Dominicis cum Matutino, Horis et Vesperis decantari praecipitur. Pari modo expositiones SS. Sacramenti, nonnisi obtenta licentia Ordinarii, fieri possent.³² Tendentiam regressivam quod attinet, nominare iuvat restitutionem « Dominicae Orthodoxiae », ³³ ritu solemniori antiquo in Orientali Ecclesia instituta, qua haereses omnes anathemate plectebantur; hodie apud Catholicos orientales est absoleta, dum dissidentes eam, in primam Dominicam Quadragesimae incidentem, mordicus tenent. Hisce statutis, nemo non videt, quo spiritu fervebat et qualem scopum prosecuta est reformatio liturgica secundi dimidii saec. XVIII, cuius Synodus Berestensensis debuisset apparere tamquam fidelis interpretator.

Nescimus certe, quanam dioecesis vel regio Metropolis praecipuum influxum in tam evidentem reditum ad antiquam disciplinam habuerit. Sine dubio, inter primas, dioecesis Leopoliensis suum locum habet, ex qua in memoriali ad Synodum porrecto, varii abusus et innovationes in celebratione S. Missae recensentur et condemnantur. Hic lamentatur, quod in celebratione S. Missae « vix non tot discrepantes inter se videntur caeremoniae, quot numerantur sacerdotes eas celebrantes », et sub finem ita con-

³⁰ « Quodsi deinceps contra ritum Orientalis Ecclesiae quicumque, et quacumque dignitate ornatus consuetudinem diversam introduceret, hic praeter noxam peccati lethalis, uti refractarius in re gravi Legi Ecclesiae, si fuerit Eppus interdicto ab ingressu Ecclesiae, si vero Clericus cujuscumque status, suspensionis a Divinis, et interdicti poenae, si integra communitas hanc legem pertinaciter violare praesumeret, subiaceat ». Decr. Ant., art. V, nr. 2 (ASV, *Arch. Nunz. Nars.*, t. 99, f. 37).

³¹ *IBID.*, f. 37.

³² Decr. Ant., art. V, nr. 8-10 (ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 37v).

³³ Decr. Ant., art. II, nr. 1 (ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 34).

cluditur: « Si Concilium Tridentinum sess. 7. can. 13, anathematis ictu ferit omnes illos, qui in solempni Sacramentorum administratione receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus contemnunt, aut pro libitu ommittunt, vel in novos mutare praesumunt, qualenam ferendum iudicium de his, et ut fateri liceat, de omnibus nobis, qui in hoc Sacramentorum maximo per difformitatem delinquimus, et a praescriptis, ac per SS. Patres introductis ritibus et caeremoniis longe recessimus, imo vix umbram eorum servamus? ».³⁴ Sed etiam e dioecesi Polocensi, in qua antiqua rituum disciplina magis quam in regione galiciana alterata fuit, pulchrum nobis superest testimonium de conamine redeundi ad antiquam observantiam.³⁵

b) Tendentiam *reformativam* dictam, quae intimum rigimen Metropolis respiciebat, Decreta Antesyndotalia superabunde continent; vix quidam ex novem articulis *Compendii* de ea non ageret. Notatu digna sunt, plura e statutis Concilii Zamostianae, novis abusibus irrepsis, repeti, pluraque aliquem saporem tendentiae retrogressivae continere. Iam licet ad singula accedere; sed obscurus esset iste labor, nemo est qui non videat. Perspicaciae quapropter causa Decreta Antesyndotalia non nisi in luce Decretorum Synodi Zamostianae et Leopoliensis suam significationem, indolem atque dependentiae rationem reddere valent. Quam mutuam eorum relationem, saltem attingere quam penitus omittere, in sequenti capite circumscribere proposuimus.

³⁴ Cf. « *Praeparatoria ad statuenda in futura Synodo provinciali Ruthena, ex Dioecesi Leopoliensi A. D. 1763 porrecta* », quae apud PELESZ, *op. cit.*, II, p. 935, nota 160.

³⁵ Cf. eius desideria in 3 parte documentali.

CAPUT II

RELATIO DECRETORUM ANTESYNODALIIUM AD SYNODUM ZAMOSTIANAM ET LEOPOLIENSEM.

Ad argumentum valoremque materiae synodalis melius illustrandum, hoc in capite eius Decreta Antesyndalia cum Decretis Synodorum immediate confinibus comparabimus. Utilitatem quamdam praestare confidimus, cum in historia Ecclesiae saepe numero fit sermo de Synodo Zamostiana, quam a. 1807 Pius PP. VII ab universa Ecclesia ucrainica servandam esse decrevit, Synodoque pariter Leopoliensi, quae, novissime celebrata, collexit vetusta, nitorem dando absoletis et praesentibus vigorem. Quamvis solum dioeceses Leopoliensem, Premisliensem et Stanislaopolitanam obliget, suum ultimum, ut fertur hodie, fastigium haud dubie imposuit. Praetermissis ergo Synodis Provincialibus antiquioribus,¹ in praesenti visum restringimus ad principaliora capita Decretorum Antesyndalium, quae festinanter respectivis capitibus supradictarum Synodorum comparare intendimus. Ut relatio faciliter innotescat titulos Synodorum praeponimus, ordinemque vero in explicatione secundum novem articulos Synodi non habitae sequimur.

Synodus Zamostiana (1720).

1. De Fide Catholica
2. De Praedicatione verbi Dei, et Catechismo instituendo
3. De Sacramentis eorumque administratione
4. De Reformatione
5. De Metropolitano
6. De Episcopis
7. De Officialibus

¹ Synodi Provinciales fuerunt: *Kioviensis* a. 1147, sub Principe Magno Isjaslav, *Volodimiriensis* a. 1274, sub Metr. Cyrillo II, *Novogrodecensis* a. 1415, sub Principe Vitoldo, *Vilnensis* a. 1509, sub Metr. Iosepho Soltan, *Kobrinensis* a. 1626, sub Metr. Rutzkyj, *Nationalis (Latinorum) in Tyrnav* a. 1648 in qua praesens fuit Episcopus Ruthenorum in Subcarpatia petendo Unionem cum Romana Ecclesia, *Zamostiana* a. 1720, sub Metr. Leone Kiszka, *Leopoliensis* a. 1891, sub Metr. (postea Cardinali) Sylvestro Sembratovycz. Cf. HOŁOWECKYJ D., *Fontes Iuris Canonici Ecclesiae Ruthenae*, p. 9-11, Romae (Typis polyglottis Vaticanis) 1932.

8. De Notario, et Taxa Episcopali
9. De Proto-Presbyteris, sive Decanis Ruralibus
10. De Parochis, et Parochiis
11. De Monasteriis, Statu Monachorum
12. De Monialibus
13. De Ecclesia, earumque Bonis non alienandis
14. De Simonia
15. De Studiis instaurandis, et Seminariis
16. De Jejuniis, et Festis
17. De Reliquiis, Miraculis, ac veneratione Sanctorum
18. De Pensionibus pro Dominis Deputatis ad Tribunal Regni
19. De Synodalibus Constitutionibus.

Synodus Berestensis non celebrata (1764-66).

A. Decreta Antesyndalia (= Decr. Ant.).

1. De observantia Constitutionum Synodaliū et Synodis Provincialibus
2. De Fide Orthodoxa
3. De Doctrina Christiana mediisque aptis et facilioribus quibus plebs erudiri queat
4. De Sacramentis tam in genere quam in specie
5. De Ecclesiis, earum ordine, et nitore, nec non divinis officiis publice in Ecclesiis celebrandis
6. De Metropolitano
7. De Episcopis, Ecclesiis Cathedralibus, Archiviis dioecesium, Synodis dioecesanis et Visitationibus
8. De reformatione Cleri, Scholis slavonicis, Seminariis et Domibus Correctionum
9. De Parochis, Paroeciis, Jejuniis et Festis

B. Desideria, quae exstant, dioecesis Polocensis ad promotionem in Consultationibus Antesyndalibus exhibita:

1. Liturgiae, 2. Jejunia, 3. Parochi, 4. Decani, 5. Seminaria, 6. Capitula
7. Episcopi, 8. Curia Metropolitana, 9. Posta dioecesana, 10. Celibatus, 11. Patronus Cleri, 12. Regulares, 13. Synodus Provincialis, 14. Procurator universi Cleri, 15. Archivia Episcopalia, 16. Filii Parochorum, 17. Locus in sessionibus Antesyndalibus.

Synodus Leopoliensis (1891).

1. De Fide Catholica
2. De Sacramentis eorumque administratione
3. De Sacramentalibus
4. De Cultu Dei publico
5. De Sacra Liturgia S. Ioannis Chrysostomi et S. Basilii Magni
6. De Templis cultui divino dicatis
7. De Hierarchia Ecclesiastica
8. De Clericorum Seminariis
9. De Sacerdotibus Novae Legis
10. De Religiosis
11. De Ieiuniis
12. De Officiis erga defunctos
13. De Iudiciis Ecclesiasticis
14. De Synodis
15. De Bonis Ecclesiarum.

* * *

1. De observantia Constitutionum Synodaliū et Synodis Provincialibus (1-16).

« Ad observantiam Constitutionum Synodaliū - dicit prima paragraphus - tum ad firmandam maiorem unitatem, et concordiam omni quadriennio Synodus Provincialis convocata a Metropolitano celebretur ». Decretum hoc iam promulgatum fuit a Synodo Provinciali Kobrinensi a. 1626, sub Metr. Velamin Josepho Rutskyj celebrata, sed saeculorum decursu, diversis de causis, numquam ad effectum deductum est. In Synodo Zamostiana de hac re omittitur sermo. Praescribitur solum in tit. XIX, ut Constitutiones synodales in Dioecesanis Conventibus legantur, ac promulgentur in lingua vernacula.² Synodus Leopoliensis³ normam Tridentinam pro impossibili reputans,⁴ omni quinquennio Synodum Provinciale, omnique triennio Synodum Dioecesanam celebrandam esse hortatur. Ceterae praescriptiones quoad convocandos, locum et modum generatim Codici Iuris Canonici congruunt. Decreta porro Antesynodalia aliquid novi haud inferunt. Metropolitano negligente, post elapsum tempus integri tertii anni litteras

² SPZ, tit. XIX, *De Synodalibus Constitutionibus*, p. 124.

³ SPL, tit. XIV, *De Synodis*, p. 175-77.

⁴ *Conc. Trid.*, sess. XXIV cap. 2: *de Reformatione*, ubi inter Synodos Provinciales intervallum trium annorum et dioecesanis unius anni praescribitur.

convocatorias expedire ius concedunt seniori ordinatione Episcopo et vices eius, post frustratam monitionem, gerere (nr. 7). Synodo insuper interesse tenentur etiam religiosi et quidem: Proto-Archimandrita, Archimandritae, Provinciarum Religiosarum Praesides cum Consultoribus tam Generalibus quam Provincialibus (nr. 10), de qua obligatione vehemens exarsit controversia ante celebrationem Synodi Berestensis. Sedes Apostolica tandem huic obligationi annuit.⁶ Reliqua Decreta huius articuli lectioni commendamus.

2. De Fide Orthodoxa (1-10).

Decreta Antesyndotalia generaliter hac de re loquuntur. Antiqua traditio Orientalium videtur praevalere et s.d. « Dominica Orthodoxiae », in qua omnes haereses anathemate feriuntur, instituitur. Quaestiones dogmaticae plerumque supponuntur iam definitae in Synodo Zamostiana.⁶ Pauca ex his referimus: Patres Synodi Zamostianae SS. Canonum vestigiis inhaerentes et cum Irenaeo (Adv haer. III,3,2) primatum Romanae Ecclesiae, in qua semper apostolica traditio sit conservata praedicando, formulam fidei ab Urbano PP. VIII praescriptam et pro faciliori captu in linguam vernaculam versam, ut profiteri teneantur mandant non solum omnes de quibus mentio fit in Conc. Tridentino,⁷ verum etiam idipsum iubent praestandum a Religiosis, quos concernit praescriptum Constitutionis Pii PP. IV « *Iniunctam nobis* », a.1564 publicatae. Nec desunt poenae contra negligentes periurosve stabilitae. Accedit Decretum de addenda Symbolo Fidei, ubicunque in posterum tam publice quam privatim recitaretur, *Filioque*, qua processio S.Spiritus a Patre et Filio designatur.⁸ Sub poenis, arbitrio Ordinarium infligendis, praecipitur « ubicunque in sacris Dypticis commemoratio Romani Pontificis », praesertim tempore Sacrificii Missae in translatione Oblatorum, claris et expressis verbis, quibus alter quam Romanus universalis

⁶ Cf. APF, *Acta S. Congregationis*, t. 135, f. 270-74v, et *Lettere della S. Congregazione*, t. 206, f. 342-43.

⁶ SPZ, tit. I, *De Fide Catholica*, p. 53-58.

⁷ « Provisi de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus teneantur a die adeptae possessionis ad minus intra duos menses in manibus ipsius episcopi, vel eo impedito coram generali eius vicario seu officiali, orthodoxae suae fidei publicam facere professionem, et in Ecclesiae Romanae obedientia se permansuros spondeant ac iurent »; *Conc. Trid.*, sess. XXIV, cap. 12, *de eformatione*.

⁸ Hoc fecerunt etiam Patres Synodi Provincialis Maronitarum a. 1736 celebratae, stautendo, ut sacerdotes eorum legibus subiecti Symbolum iuxta consuetudinem Romanae Ecclesiae usurparent. Cf. *Acta Synodi Prov. Maronitarum*, pars. I, cap. I, 12, Romae 1820.

Episcopus designari non potest.⁹ Praeterea Patres Concilii urgent, quod nemini, cuiuscumque status et conditionis sit, qui catholicam fidem professus fuerit, liceat ad extraneos pastores eorumque Ecclesias, sive suscipiendorum Sacramentorum sive devotionis causa accedere, ne videatur activam cum iis communicationem habere; alias contra ipsum tamquam suspectum ab Ordinario foret procedendum.

De hac re etiam Decr. Ant., temporis videlicet necessitate, abundanter loquuntur. In nr. 2 eiusdemque articuli « De Fide Orthodoxa » monentur Episcopi de iis, qui commeantes negotiorum causa Kijoviam inter schismaticos degunt, cum iisdem in Divinis communicant, contra quos, ut suspectis de schismate, sit procedendum.¹⁰ Pari modo (nr. 3) confugientes in Valachiam pro obtinendis Sacris Ordinibus ab exercitio eorum perpetuo arceantur, cum et veri apostatae sint, nec fidem certam susceptorum Ordinum adferunt. Cautè etiam cum natis et educatis in ditionibus Moscoviae est procedendum (nr. 4), super quorum idoneitate Decani sub tempore visitationis sedulo inquirere tenentur (nr. 5). Matrimonium mixtum benedicatur solum, quando coniux in schismate aut haeresi persistens coram Episcopo firmaverit promissum de prole in religione catholica educanda (nr. 6). Insanos Philippovianismi errores Decr. Ant. (nr. 7) et Synodus Zamostiana refutant.¹¹ Quoad libros denique in genere, Synodus Zamostiana praecipit, « ut nemo in posterum sine approbatione, et licentia loci Ordinarii libros aliquos edere, atque imprimere, vel a finibus schismaticorum ad nos inferre ac retinere audeat, et praesumat ».¹² De eorum typica editione iam alibi locuti sumus. Similiter in Decr. Antesyndalibus (nr. 8-9), praeter vetitam retentionem et lectionem, poenae statuuntur in illos, qui scientes apud aliquem libros haereseos continentes exstare, eundem loci Ordinario non detulerit. Denique in nr. 10 sepultura solemni declarantur privari illi, qui inserviunt hebraeis, violando dies festos.

Si uno oculorum ictu ad Decreta Synodi Leopoliensis inspiciamus,¹³ doctrinam in summa evolutione atque undique ex partibus perpolitam invenimus; a quibusnam fidei professionem emittendam esse expressis ver-

⁹ Sunt Diptycha (δίπτυχα) tabulae duae simul iunctae, eo pacto, quo Moysis Tabulas (Diptychum lapideum) depingimus. Earum usus sacer fuit et profanus. Sacer in Ecclesia ut in earum una

¹⁰ Historiam huius popularis consuetudinis videsis apud LIKOWSKI, *op. cit.*, p. 128.

¹¹ Eorum doctrinam recenset HUGO LAEMMER, *In Decreta Concilii Ruthenorum Zamosciensis animadversiones theologico-canonicæ*, p. 28-29, nota 2, Friburgi Brisgoviae 1865.

¹² SPZ, tit. I, *De Fide Catholica*, p. 57.

¹³ SPL, tit. I, *De Fide Catholica*, p. 1-18.

bis indicat (cap. I); sincero animo inhaerendum esse dogmaticae doctrinae a Pio PP. IX de Immaculato Deiparae conceptu edicit (cap. II); indifferentismum religiosum, cum neminem extra veram Christi Ecclesiam salutem aeternam consequi posse, proscribit (cap. III); communicationem in Divinis cum haereticis et schismaticis prohibet (cap. IV); censuram librorum imponit (cap. V); sectam Massonum aliosque errores hoc tempore late grassantes refutat et condemnat (cap. VI); praedicationem Verbi Dei parochis singulis dominicis et diebus festivis imponit (cap. VII et VIII). In hac parte plerumque citatur Synodus Zamostiana. Decreta Antesyndalia, exceptis de communicatione in Divinis cum haereticis et censura librorum plerumque negliguntur, cum ea Patres Synodi Leopoliensis potuerunt ignorare, vel etiam cognitis parvi existimare; de cetero tendentia eorum retrogressiva atque statuta practica, quae proxime necessitati ac spiritu reformationis alteri dimidii saec. XVIII inservire debebant, e diametro opponebantur tendentiae Synodi Leopoliensis.

3. *De Doctrina Christiana mediisque aptis et facilioribus quibus plebs erudiri queat (1-7).*

Articulus miserae conditioni plebis huius decadentis periodi sane respondet. Quaedam puncta iam in Synodo Zamostiana adumbrata fuerunt, ubi sanctiones repetuntur Tridentinae (sess. V, cap. 2, de Reform.), de officio parochorum, populum sibi commissum diebus saltem dominicis et festis solemnibus pro suo et ipsius populi captu Verbo Dei pascendi. Nec minoris quam praedictio momenti statuitur esse catechesis.¹⁴

Decreta Antesyndalia rem ultro urgent et specificant (nr. 1-2). Stylum in praedicatione gravem, perspicuum et simplicem praescribunt, ut populus fructum animarum suarum, non vanam gloriam a praedicatione quaeri cognoscat. Id vero vel maxime diebus dominicis et festis impleri debet, ut gens christiana ab otio, crapulis et ludis ad hoc spirituale pabulum avocetur. Parochi negligentes mulcta pecuniaria quinque florenorum a Decano exigenda punientur, quod si Decani negligentiores per conniventiam fuerint dupli solvere tenebuntur (nr. 3). Catechismum demum duplicem edendum iubent, longiorem unum, materias morales et dogmaticas continentem, quo parochi minus sufficientes ad praedicandum utantur oportet loco concionum; brevior alterum, compendiose doctrinam ecclesiasticam cumulantem, quo utentur dum rudes aut pueros doctrina christiana informabunt (nr. 4). Practicam demum catecheseos instructionem

¹⁴ SPZ, tit. II, *De praedicatione Verbi Dei, et Catechismo instituendo*, p. 58-59.

commendat parochis, ut pueros tenerae aetatis in domo sua instruant, dein tamquam neo-catechistas in pagos vicosque respectivos remittant, obligatione gravatos alios instruendi (nr. 5). Missiones ubique fovendae sunt (nr. 6), ad quas obeundas etiam alumni ex Seminariis redeuntes per biennium sub inspectione et iurisdictione Decanorum admoveri possent (nr. 7).

Synodus Leopoliensis hisce super rebus in fine primi tituli « De Fide Catholica » duabus distinctis capitibus diserte agit.¹⁵ Quoad praedicationem Verbi Dei plerumque Decreta Tridentina (sess. V, cap. 2; XXIII, cap. 1; XXIV, cap. 4, de Reform.) et Zamostiana repetuntur. Modum concionum sine debita praeparatione pastoribus vetat; servandam esse laudabilem consuetudinem, praescribit, proferendi in capite concionis textum complectentem quasi in germine suo totam concionem, et hoc quidem lingua liturgica (= slavo-ecclesiastica); ubi autem huiusmodi textus difficilis intellectu occurrat, tenentur praedicatores eiusdem versionem in lingua vernacula statim subiungere. Haec praxis communiter hodie retinetur. De Catechismo demum more suo, magis hortativo quam practico, canones loquuntur.

4. *De Sacramentis tam in genere quam in specie. (1-24).*

In hoc articulo materia promiscue continetur, quin aliqua distinctio Sacramentorum in specie, sicut videre est in Synodis Zamostiana et Leopoliensi, emergat. Tota materia 24 numeris constat, eamque claritatis ac perspicaciae causa sic specificè dividimus: *In genere (nr. 1-2, 24)*. Rituale Graecorum iussu S. M. Benedicti XIV Romae editum ab omnibus haberi et adamussim observari iubetur. (En tendentia retrogressiva). Cum administratio Sacramentorum omnino gratuita debeat esse vitandaque sit omnis simoniae suspicio, collectio cerae et thymiamatis tempore Confessionis Paschalis, quae in pluribus Ecclesiis observabatur, in aliud tempus transferenda est (nr. 1-2). Decani demum hortantur (nr. 24) sub tempus visitationis serio perquirere regulas rectae administrationis, quae in Rituali praescriptae sunt. Etiam hic, notamus, supramemorata tendentia apparere videtur.

Synodus Zamostiana quoad haec ultima similia habet, sed ea, quae ex Ritualis Romani Rubricis et Conc. Tridentini Decretis sunt desumptae.¹⁶ Unum Rituale a Metropolitano compositum et a Sancta Sede approbatum

¹⁵ Cap. VII, *De praedicatione verbi Dei*; cap. VIII, *De Catechismo*, pp. 12-18

¹⁶ SPZ, tit. III, *De Sacramentis eorumque administratione*, p. 60-62.

ad usum praescribit (« nihil ei addendo, nec quidquam ex eo detrahendo »), quod vero non ubique observatum fuit iam alibi vidimus.

Synodus Leopoliensis Decreta Zamostiana retinet, nec non omnia, quae praescribuntur in Decreto S. Cong. de Prop. Fide sub nomine *Concordia*, die 5 Octobris a. 1863 edita. Cum circa editionem novi Ritualis, quo uniformitas introduci posset, non hucusque omni ex parte satisfactum fuerit, Synodus iterum instat, ut nova editio cum diligentia et studio secundum normam ab hac Synodo praescriptam, quam citius typis mandetur.¹⁷

Baptismus (nr. 3-11). Quaestiones omnino practicae tanguntur: de parvulis hebraeorum baptizandis, de numero patrinorum, de obstetricibus, — quas probas, pias, sobrie instructas esse oportet, aquamque ad baptizandum paratam habentes, si extremae necessitatis casus postulaverit. In susceptione infidelium ad sinum Ecclesiae, antequam baptizarentur, interstitiae omnino servandae sunt. Feminae partui proximae curare debent conscientiam Confessione Sacramentali expiare. Olium denique Catechumenorum et aquam pro conferendo Baptismate semel benedictam conservare permittitur parochis in integro, nitido et clauso vase, ad quartam partem anni, in Ecclesia, cum utriusque ritus benedictionis oblongior sit in Orientali Ecclesia.

Synodus Zamostiana diversimode procedit:¹⁸ agit de materia Baptismi, de modo conferendi (cum inter Latinos et Orientales discrepantia vigeat), de forma quam ex Decreto pro Armenis in Bulla Eugenii PP. IV « Exaltate Deo » mutuatur. Caeremoniae in administratione huius Sacramenti adhibendae sunt eae, quae a maioribus traditae sunt, ac in novo Rituali edendo exprimantur. Si contingerit sacerdotem ritus orientalis infantem latinum baptizare, Sacramentum Confirmationis, quod simul administratur apud Orientales, conferre prohibetur. Dein, praeter statuta de loco administrationis, numero patrinorum et olio catechumenorum, consuetudinem antiquissimam, quae olim apud Orientales atque Occidentales vixit, communicandi neobaptizatos sanguine Christi abrogat.

Quoad hanc consuetudinem silet Synodus Leopoliensis, caetera plerumque repetit, trinamque infusionem, ab immemorabili tempore receptam, expresse praescribit.¹⁹

Confirmatio (nr. 12-13). Duo abusus proscribuntur in Decretis Ante-

¹⁷ SPL, tit. II, *De Sacramentis eorumque administratione*, p. 18.

¹⁸ SPZ, tit. III, § 1, *De Baptismo*, p. 62-66.

¹⁹ SPL, tit. II, cap. I, *De Sacramento Baptismi*, p. 19.

synodalibus: ne Sacrum Chrisma ad morbos oculorum depellendos adhibeatur, neque aliquo instrumento ad inungendum baptizati corpus ministri utantur. De caeteris deest sermo; opinari potest Patres sessionum antesyndalium supervacaneum existimarunt disserere de rebus iam tractatis in Synodo Zamostiana,²⁰ dum et controversia de Sacramento Confirmationis non existebat. Etiam Synodus Leopoliensis iniungit servanda esse omnia, quae a Synodo Zamostiana circa hoc Sacramentum praescripta fuerunt. Parochi insuper graviter admonentur ut sacrum Chrisma intra mensem post Coenam Domini, in qua consecratur, iam habeant. Sacrarium porro in Ecclesiis procurandum est, ubi cineres veteris Chrismatis, aliarumque sacrarum rerum immitti queant; effunditur illuc quoque aqua sive post Baptismum iam collatum, sive pro ablutione manuum post Chrisma et alias sacras unctiones inserviens.²¹

Poenitentia (nr. 14-17). Tractatur heic de Confessione Paschali, quae incipiat oportet a die Sabbati inclusive precedente Dominicam Orthodoxiae ad Dominicam Myroforarum, servato tamen iure Episcopis aliud statuendi. Alienum parochum quisque adire potest, dummodo fidem in scripto de absoluta confessione adferat. Casus reservatos per dioeceses Episcopi publicare tenentur, a quibus absolvendis praeter Poenitentiarios Cathedrales facultas in quolibet Decanatu aliquibus sacerdotibus tribuenda est, ne indigentes tali absolutione longinquo ad Episcopum terreantur itinere. Ad excipiendum Monialium confessiones specialis approbatio exigitur; confessarii etiam extraordinarii iis, secundum praescriptum Constitutionis Benedicti XIV, ab Episcopis deputari solent. Parochis, aliisque sacerdotibus et omnibus in Sacris Ordinibus constitutis Clericis mensilis confessio praecipitur, de cuius absolutione testimonium scriptum adferre debent, ut ab Visitoribus interrogati exactam suam diligentiam probare queant.

Hisce parvis animadversionibus practicis longe distant Decr. Ant. a Synodo Zamostiana,²² quae Tridentini premens vestigia²³ loquitur de forma et materia huius Sacramenti, de frequenti confessione sive fidelium sive sacerdotum, de sigillo sacramentali, de peccatis reservatis eorumque absolutione.

²⁰ SPZ, tit. III, § 2, *De Confirmatione*, p. 66-67. Agit nempe de indelebilitate characteris, de materia et forma, de confectione et administratione.

²¹ SPL, tit. II, cap. II: *De Sacramento Confirmationis*, p. 20.

²² SPZ, tit. III, § 5, *De Poenitentia*, p. 74-77.

²³ Conc. Trid., sess. XIV, cap. 3: *de Poenitentia*.

Synodus Leopoliensis²⁴ antiquam hac in re disciplinam Orientalis Ecclesiae sequens, trinam annuam Confessionem a Synodo Zamostiana pariter recognitam iterum urget, et quidem in Resurrectione Domini (quo tempore sub excommunicationis poena id facere tenentur), in Obdormitione Deiparae, et Christi Nativitate. Consuetudinem populi occasione Paschalis Confessionis (de qua Decr. Ant. in parte generica nr. 2 huius articuli agunt) conferre aliquid sive parrocho sive cantori reprobatur Synodus parochosque hortatur, ut populo instructionibus publicis declarent, eos pro huiusmodi Sacramenti administratione ad nullam persolutionem obligari. Hoc tempore insuper alias contributiones et exactiones a parrocho excipi severe prohibetur, ne occasio sinistrae interpretationi praebeatur. Quod autem iurisdictionem confessionum attinet, ipsa ad monasteria non extenditur, maxime vero Monialium.

SS. Eucharistia (nr. 18). Unica quaestio tangitur: distributio Eucharistiae in Missis Praesanctificatorum et extra Sacrificium Missae, praeter Viaticum aegrotis, proscribitur, cum absque reatu peccati lethalis violari non possit lex et disciplina Orientalis Ecclesiae de sumenda sub duplici specie Eucharistia. Quaedam inclinatio ad tendentiam retrogressivam etiam hic videri potest.

Silet de hac quaestione Synodus Zamostiana, quamvis separatim agit de Eucharistia et de celebratione Missarum.²⁵

Generatim loquitur Synodus Leopoliensis, dicens in ritu Orientalis Ecclesiae S. Communionem distribui sub utraque specie, et quidam intra Missam, licet totus ac integer Christus sub alterutra specie contineatur.²⁶

Extrema Unctio (nr. 19-20). Ad Sacramenti administrationem oleum purum olivarum, nec cum vino mixtum adhibendum esse, statuitur. Pro contagine aut peste infectis, tum iacentibus pauperibus in plateis publicis, licet solum oleum in ecclesia benedicere et peracta administratione reliquum in ecclesia comburere.

Hanc benedicendi potestatem, multis abhinc saeculis in Orientali Ecclesia sacerdotibus concessam, nequaquam adimendam esse existimavit Synodus Zamostiana,²⁷ combustionem, quod supererit reliqui, pariter urgens. Ob reverentiam Sacramenti et gratiae copiam, plures administrantes (tres vel septem) adhiberi possunt, quod si commode fieri nequeat unus, qui totius Ecclesiae personam gerit, illud conferre ac ministrare sufficit. Cum caeremo-

²⁴ SPL, tit. II, cap. IV: *De Sacramento Poenitentiae*, p. 24-26.

²⁵ SPZ, tit. III, § 3: *De Eucharistia*, et § 4; *De celebratione Missarum*, pp. 68-74.

²⁶ SPL, tit. II, cap. III: *De SS. Eucharistiae Sacramento*, p. 22.

²⁷ SPZ, tit. III, § 6: *De Extrema Unctione*, p. 77-80.

niae longissimae sint et mors quandoque urget, iubet Synodus Zamostiana novum describi ritum, in quo longiores Orationes, Evangelia et Epistula omitti possunt et debent.

Hoc breviori schemate a supradicto concilio proposito, Synodus Leopoliensis²⁸ non solum in extremae necessitatis casu, verum etiam in reliquis casibus, propter consuetudinem iam diu introductam, uti posse aperte declaravit.²⁹ Combustioni olei, quod post unctionem superesset, annuit, parochosque nihil percipere posse ex collatione huius Sacramenti decrevit.

Ordo (nr. 21-22). Ordinationes peragendaе sunt tempore quatuor ieiuniorum praescribunt Decr. Ant., praemisso examine eoram Episcopo, aut persona specialiter ad hunc actum delegata. In Ordinationibus, porro, instructor Ordinandos producit et in facie Ecclesiae super eorum habilitate testimonium profert. Ordinationes omnino, gratuito conferuntur; idcirco, ut vitetur nimirum omnis culpae suspicio veterem consuetudinem, quam etiam Synodus Kioviensis sub Cyrillo III celebrata innovavit, conferre in rem ministrorum Cathedralis Ecclesiae aliquam summam pecuniae, Decr. Ant. ita solvunt, ut pecunia non in aerarium, aut commodum Episcopi, sed ad manus alicuius ministri episcopalis exsolvatur, et post annum in unum computata arbitrio Episcopi in ministros eius dividatur.

Res videtur omnino particularis causamque suam ex abusibus ortam habere. Desideratur in Decretis Synodi Zamostianae,³⁰ cum illo tempore Patres potius praecoccupati fuerint de materia et forma huius Sacramenti. Nihilominus de prima quaestione, scilicet qualitate et examine Ordinandorum, Tridentini sequentes vestigia,³¹ omne tulerunt punctum.

Multa ex his repetit Synodus Leopoliensis,³² exercitia spiritualia per octo dies duratura ac formulam iuramenti Urbani PP. VIII imponens. Quoad aetatem Ordinandorum, cum hinc illinc lites moverentur et antiqui canones³³ passim citarentur, Synodus aperte proposuit doctrinam Tridentini requiri ad Subdiaconatum annos 21, ad Diaconatum 22, ad Presbyteratum 24 completos.

Matrimonium (nr. 23). Super Sacramento Matrimonii, iuxta praescri-

²⁸ SPL, tit. II, cap. V: *De Sacramento Extremae Unctionis*, p. 26-28.

²⁹ Utraque formula exhibetur hodie in nova editione « *Parvi Trebnici* » seu Rituali pro Ecclesia ucrainica, a. 1947 iussu S. Congregationis Orientalis publicati.

³⁰ SPZ, tit. III, § 7: *De Sacris Ordinationibus*, p. 80-87.

³¹ *Conc. Trid.*, sess. XXIII, cap. 7, 12: *de Reform.*

³² SPL, tit. II, cap. VI: *De Sacramento Ordinis*, p. 28-30.

³³ Iuxta antiquos canones haec aetas requirebatur: *ad Subdiaconatum* anni 20 (*Conc. Trull.*, can. 15), *ad Diaconatum*, a. 24 (*Conc. Carthag.*, III, can. 4), *ad Presbyteratum*, a. 30 (*Conc. Neoces.*, can. 11; *Conc. Trull.*, can. 14).

ptam Synodi Zamostianae disciplinam,³⁴ id dumtaxat in Decr. Antesyndalibus statutur, ut parochi aliis sacerdotibus matrimoniis suorum parochianorum assistendi licentiam dantes, eandem in scriptis exprimant, utque super doctrina christiana matrimonium contrahentes examinent, ignorantibusque porro benedictionem nuptialem differant quousque scienda ab homine christiano perfecte non dedicerint. Nihil decernitur in Decr. Ant. de benedictione nuptiali eorum, qui illegitime ritum proprium deseruerunt, quod illo tempore non raro accidebat. Id porro in Synodo Leopoliensi invenire est, quae parochos admonet, ne benedicant Matrimonia eorum, qui illegitime ad ritum graecum transierunt, quia invalidum est, utpote non coram proprio parochio celebratum.³⁵

5. De Ecclesiis, earum ordine, et nitore, nec non divinis officiis publice in Ecclesiis celebrandis (1-16).

Articulus satis amplam et complexam continet materiam, quae commode *liturgica* nominari posset. Sexdecim constat numeris, dempto nono, quod scribae inadvertentiae vel saltui imputare liceat.

Ex quo tempore in Ucraina plures ecclesiae, ope foundationis Palatini Potockyj aliorumque, construi coeperunt abususque exinde in aedificatione passim committebantur, ratio est cur in primo numero Decr. Antesyndalium normae generales de novis ecclesiis erigendis statuuntur. Passus fit ad internam earum divisionem, immo et cultum, quod mediante « hominum novitati studentium opera immitti », vel magna ex parte in Liturgia abrogari, aliisque Officiis ecclesiasticis immutari coepit. Magistros quapropter caeremoniarum « Rituum Orientalis Ecclesiae » probe gnaros per ecclesias Cathedrales et regulares instituendos esse iubet Synodus ad observantiam rituum promovendam (nr. 1-2).

Restituenda sunt omnino (secundum disciplinam Orien. Ecc.) sequentia:

- a) administratio Sacramentorum (nr. 3);
- b) Divina Officia (nr. 3), ad quorum uniformitatem conficiendum erit Typicon Graecorum typicis conforme, in quo exacte ratio Divinorum Officiorum peragendorum describeretur (tendentia retrogressiva);
- c) vigiliae consuetae cum nocturnis precibus Festis saltem solemnioribus Salvatoris et Deiperae (nr. 5);
- d) coemeteria christiana (nr. 6);
- e) lotio pedum in die Coenae Domini et solemnitas Dedicacionis Ecclesiae (nr. 7);

³⁴ SPZ, tit. III, § 8: *De Matrimonio*, p. 87-91.

³⁵ SPL, tit. II, cap. VII: *De Sacramento Matrimonii*, p. 30.

f) S. Liturgia cantata, Matutinum, Horae et Vesperae omnibus diebus Dominicis et Festis in ecclesiis parochialibus (nr. 8);

g) Missa Praesantificatorum statutis diebus Quadragesimae (nr. 13);

g) Eulogiae seu Antidora (nr. 14).

Omittenda sunt:

a) Expositiones SS. Sacramenti (nr. 10) tam in regularibus quam saecularibus ecclesiis, nisi obtenta licentia loci Ordinarii (tend. retrogressiva);

b) usus superpelliceorum in administratione Sacramentorum (nr. 11).

Hisce praescriptionibus iam patet mens atque tendentia Synodi Beres-
tensis, quae, ut diximus, pro scopo habebat regressum ad pristinam atque
puram Orientalis Ecclesiae disciplinam, de qua *caute* locutum est in Sy-
nodo Zamostiana,³⁶ et tam manifeste, nec sine ratione illius temporis, ne-
gligebatur a Synodo Leopliensi, qua expositiones SS. Sacramenti sine ulla
clausula approbantur,³⁷ immo et Liturgia lecta, quae iam inde ab aetate
Zamostiana in pluribus ecclesiis observabatur, nunc ius civitatis adeptae est,
durans oportet circa dimidiam horam, nec superans tres horae quadrantes.³⁸

De Ecclesiarum constructione earumque interna divisione, ornatu, vasis
ac paramentis sacris Synodus Leopoliensis seorsim agit.³⁹

6. De Metropolitano (1-7).

Cum iura et privilegia non modo bonum temporale verum etiam in-
tegritatem S. Unionis spectantia in privilegiis Metropolitanorum potissime
fundata sint, patet cur de iisdem in tribus Synodis Provincialibus sermo
instituitur, quarum unaquaeque quidquid opportunius statuto tempore
videbatur, adiicit ac decernit.

Decreta Antesyndotalia generatim sequentia statuunt:

a) vacante Sede Metropolitana, Episcopi electionem seu recomen-
dationem personae ad id munus magis idoneae ad Aulam Regiam iuxta
Breve Benedicti XIV expediant (nr. 1);

b) Curia Metropolitana fixa sit oportet beneque ordinata, nec instan-
tiae in gradu appellationis seu resursus ad Metropolitanum omittantur
(nr. 3);

³⁶ SPZ, tit. IV: *De Reformatione*, p. 91-92.

³⁷ SPL, tit. IV: *De cultu Dei publico*, cap. IV, 4, p. 51.

³⁸ SPL, tit. IV, cap. I: *De Sacrificio Missae*, nr. 10, p. 39. Ceterum, notamus, Sy-
nodum Leopoliensem sub hoc respectu longe alias superasse, cum praeter suam sol-
licitudinem de cultu De publico, deque possibilibus relationibus creaturae ad Creatorem,
specialem aggreditur in S. Liturgia provinciam, de recto celebrationis ordine, deque dis-
putabili pronuntiatione linguae slavo-ecclesiasticae.

³⁹ SPL, tit. VI: *De Templis cultui divino dicatis*, p. 107-113.

c) in residentia Basiliana Varsaviae, ab Abbate Suprasliensi dependente, persona prudens, rerum usu praestans, iurisque perita manuteneri debet, quae negotia Hierarchiae diligenter promovere queat (nr. 4);

d) similiter et in Curia Metropolitana Delegati Episcoporum resideant, quorum consiliis in rebus rectum regimen Provinciae respicientibus plerumque utabitur Metropolitanus (nr. 4-5);

e) in signum suae auctoritatis more et usu antiquo praedecessorum suorum deferre expedit Metropolitanus caputium album cruce distinctum (nr. 6).

In Decretis Synodi Zamostianae,⁴⁰ quamvis praesentia modo descripta desiderantur, attamen quaedam generica similitudo adest, dum Metropolitanus cura totius Provinciae addicitur, qui Episcoporum defectus in administratione dioecesium ipse supplere et Sede vacante eas administrare tenetur.

Inter iura et privilegia metropolitana, quae de iure communi omnibus Metropolitae competunt, Synodus Leopoliensis, Bulla Pii PP. VII « *In Universalis* » (22. Febr. 1807) innixa, Metropolitae Haliciensi facultatem consecrandi ad suas suffraganeas Ecclesias Episcopos, modo nomine Sedis Apostolicae institutis ac confirmatis, enumerat.⁴¹ Privilegia honorifica pariter ipsi tribuit, ut nempe ante ipsum praeferatur crux cum duplici hasta transversali habeatque usum Pallii et Sacci atque ius commemorationis sui nominis intra Sacra ab omnibus Ecclesiis comprovincialibus, nec non in culmine mitrae crucem similiter bitransversalem gestandi potestatem.

Sede Episcopali vacante, vigentibus aliis dispositionibus Zamostianis, Synodus Leopoliensis modificationem introducit circa Capitula, quae confirmationem a S. Sede obtinuerunt quoad duos Vicarios, quorum unus statim post obitum Episcopi pro administratione spirituali, alter pro temporali elegi debent. Horum autem Vicariorum confirmatio a Metropolitanus petenda est.⁴²

7. De Episcopis, Ecclesiis Cathedralibus, Archiviis dioecesium, Synodis dioecesanis et Visitationibus (1-15).

Articulus de intima vita eparchiarum agit. Cum Episcopi, uti Pastorum Pastores, facti sint forma gregis ac in culmine eparchiae positi, eos irreprehensibiles esse optaret S. Synodus Berestensis, frequenter rerum divi-

⁴⁰ SPZ, tit. V: *De Metropolitanus*, p. 92-93.

⁴¹ Iam sub Clemente PP. VIII in Bulla « *Decet Romanum Pontificem* », a. 1595 publicata, iura modo dicta Metropolitae Kioviensibus elargita fuerunt.

⁴² SPL, tit. VII, cap. II: *De Metropolita*, p. 115-118.

narum meditationi addictos, a luxu et pompa saeculi alienos, ut exemplo vitae inferioribus praeleant (nr. 1). Primas curas in id impendere debent, ut Cathedralis ecclesiae ad optimum tam externum quam internum cultum reducantur, Divinaque Officia quotidiana graviter et ordinate persolvantur. Quod, ut in effectu obtineri possit, Praelaturas Cathedralis, in Orientali Ecclesia plerumque usurpatae, ad vitam excitare oportet, pro quarum erectione redditus Episcopatum vacantium et hereditates Clericorum coelibum, sine testamento decedentium, convertere licet (nr. 2-4). Archiva dioecesis circa ecclesias Cathedralis necessaria sunt; omni biennio ab Episcopo visitatio eorum cum examine scripto super integritate documentorum praescribitur (nr. 5-6). Officia dioecesis gratis ab Episcopis Clero distribui debent, neque illo contributiones extraordinariae imponendae sunt (nr. 7-8). Synodum dioecesis quilibet Episcopus omni anno in mense Maio ad Cathedralis Episcopalem, convocatis Decanis et Delegatis sacerdotibus a singulorum Decanatum parochiis, celebrare tenetur; cavendum tamen est ne quidpiam statuatur, quod Constitutionibus Provincialibus adversaretur (nr. 9-12). Visitatio eparchiae, praeter annuam a Decano, omni quadriennio Episcopo, cum adiuncta ratione in ea peragenda, praescribitur (nr. 13). Si contingerit vero Episcopo ex hac vita transmigrare, Decanus vicinior et Notarius Curiae Episcopalis in praesentia quinque testium inventarium conficere tenentur et Sedis Vacantis Administrator strictum coram Metropolitano in praesentia novi Episcopi de perceptis, stante sua administratione, redditibus calculum reddet, quorum tres partes in erectionem Praelaturarum Cathedralium designandae erunt, quarta autem in Administratorem et novum Episcopum dividetur (nr. 14-15).

Synodus Zamostiana, temporibus antea edocta non raro ad apicem dignitatis episcopalis homines indigni, plerumque a Rege nominati, evehi, haec quoad Episcopos statuit: « nemo deinceps, nisi a Sancta Sede *dispensationem obtineat*, Episcopus esse possit, qui *Professionem Religiosam non fecerit*. Nemo vero profiteri valeat, qui prius intra septa Monasterii non expleverit annum probationis Regularis, et sex hebdomadas iuxta Constitutiones, et consuetudines Ordinis Divi Basilii Magni ».⁴³ Quaestio curiosa apparet et considerationem meret. De ea non levis exarsit controversia paulo post Poloniae divisionem, ad quam sedandam Nuntius Garampi multum adlaboravit.

Decretum hoc videtur fuisse promulgatum ad praecavendos abusus, cum in Oriente post Concilium Trullanum (a. 692), qui presbyteris sae-

⁴³ SPZ, tit. VI: *De Episcopis*, p. 93.

cularibus usum matrimonii ante Ordines susceptos permisit, subiecta in Clero saeculari ad Episcopatum idonea haud fuissent. Quare necesse fuit Episcopos, vel ex Monachis, vel ex laicis coelebibus aut viduis assumere. Eandem ob rationem in Ucraina et Moscovia similis consuetudo adeo invaluit, ut post conc. Florentinum saepe laici in Metropolitae et Episcopos promoverentur. Ipsi, in Comitibus particularibus Nobilium electi et a Regibus confirmati, non existente Seminario continuo ad monasteria se retrahebant, ubi sufficientem praeparationem liturgicam aliasque caeremonias statui episcopali accomodatas addiscebant; communiter et habitum religiosum assumebant, tamen *monasticam professionem non eliciebant*, et si quandoque eam fecissent, ignorantiae eorum adscribi solet, qui viventes in saeculo et forte nihil unquam de Episcopatu cogitantes, persuasioni monachorum facile succubuerunt.

Ast cum lapsu temporis occasione frequentioris laicorum promotionis abusus fortissimi irrepserunt in Ecclesiam, dum et Episcopi nonnunquam propter solam generis nobilitatem et deficiente aliqua vocatione, per factiones familiae suae in Comitibus particularibus non infrequenter tumultuose celebratis electi, rerum ecclesiasticarum rudes, moribus, doctrina et pietate non probati regendis Ecclesiis praeficebantur, Patres Synodi Zamostianae collapsis disciplinae ecclesiasticae rebus medelam allaturi, articulum modo laudatum sextum protulerunt. Via exinde praecipiti ad Episcopatum promotioni quodammodo praecludebatur.

Hisce tamen sanctionibus, diu vigente diversa interpretatione apud Basilianos,⁴⁴ Clerus saecularis non erat subiectus. Licet post Synodum Zamostianam, per medium ferme saeculum, nullus a presbyteris saecularibus in Episcopum fuerit electus, id non provenisse, asserimus, vi sanctionis, sed ex constanti defectu subiectorum in Clero saeculari, dum circa annum 1745 presbyteri coelibes necdum aderant.⁴⁵

Quod iura et obligationes Episcoporum attinet, Synodus Leopoliensis⁴⁶ plerumque Decreta Zamostiana servanda esse decernit. Mutationem tamen fundamentalem invehit circa promotionem in Episcopum, quem etiam de gremio Cleri saecularis, nulla amplius dispensatione petita, solumque in statu coelibatus existentis assumi posse declaravit. Pariter visitationem annuam, vel ob amplitudinem dioecesis bienniam, iuxta praescriptum Synodi Zamostianae, censet dilatandam esse propter nimiam dioecesium va-

⁴⁴ Cf. auctores PELESZ, *op. cit.*, p. 474-78; MALINOWSKI, *op. cit.*, p. 227-30; HARASIEWICZ, *op. cit.*, p. 478-87.

⁴⁵ Cf. HARASIEWICZ, *op. cit.*, p. 486.

⁴⁶ SPL, tit. VII, cap. III: *De Episcopis*, p. 118-20.

stitatem ad quinquennium. Hisce duo ultimis praescriptis Synodus Leopoliensis proxime accedit ad Decreta Antesyndalia.

8. *De reformatione Cleri, Scholis slavonicis, Seminariis et Domibus Correctionum (1-14).*

Articulus 14 constat amplissimis numeris, demptis 7, 8, 9, qui desiderantur in copia. Totus ferme reformationi Cleri saecularis eiusque praecipue educationi atque formationi spirituali dedicatus est. Moris erat illo tempore iuris patrono seu collatori, qui ruri dominus absolutus censebatur, praesentandi laicos ad beneficia ecclesiastica. Exinde non raro in statum clericalem familiae pelebae, libertate e servitute obtenta, intrusae sunt, fundaque ecclesiastica huiusmodi parochorum inter rusticos cognatos distracta et cum fundis eorum commixta millenis quaestionibus ansam praebant. Cupiens ex animo futura Synodus Berestensis removeere tale dedecus a Clero saeculari, in Decr. Antesyndalibus statuit, ne ullus deinceps plebeus, libertate a suo hero donatus, aut libertinus, ad Sacros Ordines promoveatur. Quodsi contingerit aliquem adeo doctrina ac prudentia conspicuum esse, ut ex promotione insignis Ecclesiae utilitas sperari posset, eum Episcopus non aliter admittat, nisi prius in coelibatu Ordines acceptare consenserit atque scripto firmaverit promissum se nunquam in loco originis suae beneficia procuraturum (nr. 1). Filios praesertim sacerdotum oportet iam a pueritia in litteris, lingua slavonica, cantu et obsequio Ecclesiae educare, eosque, si idonei ad statum clericalem se redderint in beneficiis parentum manutenere (nr. 2-3). Ad reformationem tamen Cleri institutio Seminariorum est pernecessaria (nr. 4). Sequitur enumeratio adminiculorum quibus adhibitis Seminaria erigi, aut augeri possent (nr. 5). Antequam autem ad formalem erectionem deveniatur, possunt Episcopi mansiones commodas circa Cathedrales Ecclesias exstruere, in quibus candidati saltem per annum in necessariis educantur (nr. 6).

Super integritate morum Decani invigilabunt (nr. 10-12); delinquentes porro ad monasteria pro agenda poenitentia remittendi erunt, et si crimen quis enorme publicum commiserit, neque ullum emendationis specimen praeferat, talem Episcopus veste clericali exutum e coetu clericali expellere potest (nr. 13). Sanctiones videntur Clericorum vitiis sane respondere, qui ceteroquin ex misera conditione atque parva formatione spirituali originem duxerunt.⁴⁷

⁴⁷ Ad similem opinionem quis devenire potest inspiciendo *Desideria* dioecesis Polocensis sub n. 5 (Seminaria), 10 (Celibatus), 11 (Patronus Cleri), 16 (Filii Parochorum), ex quibus abunde patet quot curae et sollicitudines adhibendae erant pro reformatione Cleri saecularis in hac periodo. Cf. partem documentalem.

In Synodo Zamostiana de reformatione potius totius Hierarchiae Ecclesiasticae in genere locutum est.⁴⁸ Neglectus tamen non fuit sermo de studiis promovendis. Qua de causa statuitur, ut in singulis monasteriis, ubi plures, quam duodecim Religiosi aluntur, tam pro regularibus quam pro saecularibus, qui accedent erudiendi causa, studia theologica instituantur. Hortantur immo Ordinarii, qui Seminaria in dioecesi instituere non valent, aliquos saltem praestantioris ingenii iuvenes, et parochorum potissime filios ad Collegium Pontificium Leopoliense mittendi. Ceteris, praesertim pauperioribus, scholae parochiales in urbibus, oppidis et pagis sitae, sub inspectione parochorum et decanorum satisfacere debent.⁴⁹

In Synodo Leopoliensi titulus, qui ex professo de reformatione ageret desideratur, cum in omni materia pertractata quidquid reformandi videretur satisfactum est. Perlonge atque accuratissime agit de Clericorum Seminariis dividens ea in Minora et Maiora. Patres Synodi, Litteris Pii PP. IX inhaerentes, saltem unum Seminarium Minus pro pueris in tota Provincia ecclesiastica condendum esse existimarunt, quod veluti vitae sacerdotalis tyrocinium ac urbanitatis quoque initium pro adolescentibus esse debebat. In Maioribus autem Seminariis ad perfectionem perducantur illi, qui lux mundi esse deberent, sal terrae, populorumque duces.⁵⁰

De dignitate sacerdotis eiusque vitae sanctimonia ac scientia seorsim agit.⁵¹

9. De Parochis, Paroeciis, Jejuniis et Festis (1-17).

Quattuor quaestiones in ultimo titulo tanguntur, quae practice in duas binas dividi queant, sicut factum fuit in Synodo Zamostiana. Inopiae ac paupertati beneficiorum, quae manifestam constituunt causam defectus idonearum ad munera parochialia personarum, Decr. Ant. commendant unionem ecclesiarum, praesertim in oppidis, ubi plures reperiuntur (nr. 1), erectionemque novarum ecclesiarum deficiente congrua dotis quantitate pro expensis ecclesiae, parochi, cantore, et sacrista non permittunt (nr. 2). Pro vitae parochorum temporalis et spiritualis melioratione Synodus Berestensis omnes volebat impendere curas, pro eorum praesertim a collatorum dependentia emancipatione. Semel in anno parochi ad monasteria se conferre hortantur, ibidemque exercitiis spiritualibus per aliquot dies vacare (nr. 3-5).

⁴⁸ SPZ, tit. IV: *De Reformatione*, p. 91-92.

⁴⁹ SPZ, tit. XV: *De Studiis instaurandis et Seminariis*, p. 117-19.

⁵⁰ SPL, tit. VIII: *De Clericorum Seminariis*, p. 131-140.

⁵¹ SPL, tit. IX: *De Sacerdotibus Novae Legis*, p. 141-159.

Constitutionem Synodi Zamostianae super examinandis quattuor vicibus in anno parochis, sane difficilem illo tempore, ad unum examen in anno reducit (nr. 7). Aedes parochiales severissime custodire iubet, ne sensim fatiscerent et collaberentur (nr. 8). Viduis post defunctos parochos derelictis, pro antiquo more et consuetudine, per annum ex fructibus Parochiae saltem de fundo provenientibus participare sinit (nr. 9).

Ieiunium Quadragesimae et tria ieiuniorum tempora, festa scilicet SS. Apostolorum Petri et Pauli, Dormitionis Deiparae et Nativitatis Dominicae praecedentia, strictissime iubet observare, salva reductionis Episcopi facultate (nr. 10). Festorum servandorum a Synodo Zamostiana confectus catalogus⁵² laudatur in Decr. Antesyndalibus, eique sequentia adiunguntur:

a) dies tertia Pentecostes, quae inviolabiliter per omnes dioeceses servari praecipitur;

b) memoria DD. Olgae et Vladimiri, Principum, necnon S. Ignatii, qui primus Photiano schismati se opposuit, in omnibus Horologiis et Meneologiis restituenda est;

c) festum Beati Josaphat, post obtentam licentiam a S. Sede, causa maioris solemnitatis in Dominicam decimam sextam Septembris diem subsequentem transferri posset;

d) necessariae diligentiae demum adhibendae sunt, ne exemplum acerbae mortis, quam Ven. Emilianus Klimontowicz, presbyter saecularis, pro Unione cum Romana Ecclesia subiit, ex memoria hominum dispareat (nr. 15-17).

Quod ad parochos attinet, Synodus Zamostiana seorsim agit.⁵³ Similia saepissime inveniuntur, cum auctores Decretorum Antesyndalium canones Zamostianos prae oculis habentes deficientia supplere conati erant.

Longe superat omnia sua perspicacia atque sublimitatis doctrina Synodus Leopoliensis. Officium parochi ad tria potissimum munera coarctat: *magistri* (= praedicatio Verbi Divini), *ministri* (= oblatio sacrificii) et *pastoris* (= cura animarum).⁵⁴ Festa immobilia et mobilia acuratissime discernit;⁵⁵ tempus ieiunii circumscribit, immo distinctionem, quae in Oriente plerumque non discernebatur, inter ieiunium et abstinentiam statuit.⁵⁶

⁵² SPZ, tit. XVI: *De Ieiuniis, et Festis*, p. 119-122.

⁵³ SPZ, tit. X: *De Parochis, et Parochiis*, p. 104-107.

⁵⁴ SPL, tit. VII, cap. VI: *De Parochis*, p. 125-128. De collatoribus atque parochis electis ex parentibus liberis, civitatensibus dumtaxat, et familiis sacerdotalibus omittitur sermo cum tempora mutata sint.

⁵⁵ SPL, tit. IV, cap. VI: *De sanctificatione dierum festorum*, p. 57-63.

⁵⁶ SPL, tit. XI: *De Ieiuniis*, p. 162-164.

CAPUT III

RECAPITULATIO ET CONCLUSIO

Huic nostrae de Synodo non celebrata dissertationi finem imponentes, totius investigationis summam paucis perstringere utile ducimus. Singulis quaestionibus examinatis, quae rationem quamdam ad obiectum nostrum prae se ferre videbantur, iam ad eorum genericam collationem breviter instituendam panditur via.

Duo remanent nobis in hoc capite, ut modicum complectamur, quae hucusque sunt narrata, simulque indicemus conclusiones, ad quas nostris investigationibus perducti sumus.

1. *Recapitulatio.* Perlonge forsitan immorati sumus in introductione: historiam nimirum dimidii saeculi Ecclesiae ucrainicae pro scopo habuimus. A portu Synodi Zamostianae incipientes (1720) atque per mare historicae discussionis velificantes pervenimus usque ad litora primae Poloniae divisionis (1772). Quaestiones non raro complexas ad mentem S. Sedis, documentis dumtaxat non spernendis innixi, resolvere conati sumus. In tota autem introductione sincero animo exposuimus vicissitudines politico-ecclesiasticas in earum ambitu externo et interno, absque praeiudicio offensionis alicuius partis.

In *parte historica* omnes rivulos, qui undique confluentes aliquid novi de Synodo non habita afferre posse videbantur, amice consociare studebamus. Hic ostendimus (cap. I), quomodo opus coeptum reformationis liturgicae in initio secundae medietatis saec. XVIII, cuius Synodus Berestensis fieri debebat fidelis orator, per longum tempus praeparatum iam fuit et suas radices habuit. Huiusmodi causae fuerunt: evolutio ritus saec. XVIII, abusus regionales, defectus typicae librorum editionis; motus versus traditionem liturgicam antiquam, Euchologium Benedicti XIV, et cetera, quae omnes tam vehemens incitamentum dederunt, ut opus reformationis ferme per dimidium saeculum post Synodum frustratam sese protraheret.

In ipsa expositione obstaculorum Synodo Berestensi allatorum (cap. II.) per longum et latum tractavimus de obstaculis extrinsecis remotis, quae ad condiciones nefastas historiae Regni Poloniae istius temporis reducuntur. Hic pariter exposuimus nocivum influxum schismaticorum, qui in amico foedere cum intentis Aulae Petropolitanae procedebat. Qualis sors Ecclesiae

Unitae fuit inter istas duas dominationes, non solum sub tempus Synodi cogendae, sed per totam periodum eius existentiae usque ad novissima tempora, non est hic iteratae lamentationi exponendae locus; quid vero Synodi celebrationi allatum sit, ex folliis deducere licet. Exposuimus deinde in eodem capite, quid motui illo hostili externo nostri adiunxerunt. Causam exinde de domesticarum rerum angustiis attingentes, veluti in medio *Metr. Felicianum Wolodkowycz* posuimus, de cuius perlongo gubernio ac operibus, tot exstantibus documentis, parum in laudem invenimus. De duobus vero, in fine capitis, Episcopis *Szeptycki* non plus quam documenta exhibent, adneximus.

In ultimo capite partis historicae, tamquam in culmine dissertationis, ipsum cursum frustrationis Synodi Berestensis, qui per duos ferme annos sese protraxit, pro scopo nostrae opellae habuimus. Haec documenta inedita ad causam decidendam advocavimus, ex quibus Nuntii Apostolici *Antonii Eugenii Visconti* eximia pro Synodi celebratione opera atque Regis *Stanislai* oppositio et obduratio, quae causam principalem indeterminatae dilationis constituit, ad rem nostram elucidandam et resolvendam aperuerunt viam. Causae quoque secundariae insuccessus seu obstacula proxima Synodi (duo Secretarii Status, Princeps *Czartoryski*, Episcopi poloni, dissensus quorundam Episcoporum ucrainorum, Commissio Tribunalis de fundis, influxus *Moscoviae* etc.) hic obiter et disiectim tanguntur.

In secunda dissertationis parte de materia synodali, quae in sat amplo compendio asservatur in Archivo Secreto Vaticano (ASV, Arch. Nunz. Vars., t. 99, ff. 33-68v) locuti sumus.

Imprimis (cap. I), generali aspectu praemisso, de eius auctore (= compositore) ac origine indagavimus. Ex investigationibus factis clare apparet, in elaborandis Decretis Antesyndalibus magnam partem Episcopum *Antonium Mlodowskyj* habuisse, cui aliquot subsidii sacerdos *Georgius Grot-Turkevych* praestitisse creditur, dum origo materiae synodalis synthetice compositioni omnium dioecesium *Metropolis Kioviensis* tribuenda est.

Authenticitas materiae, critica externa et interna perpensa, certa pro nobis apparet, et a nemine adusque in dubium vocata est.

Materiae, porro, divisionem coniecturaliter deduximus, eandem plane fuisse ac inventi compendii, quod novem articulis cum singulis respectivis numeris constat. Quod argumentum attinet, materia synodalis in genere, vel leviter inspicienti, duplicem tendentiam prae se ferre videtur: *retrogressivam* unam, plerumque Synodo *Zamostianae* obversam, *reformativam* alteram, quae, temporis necessitate, pro sublevandis intestinis miseriis atque tot abusibus extirpandis inservire debebat.

Dein, perspicaciae et maioris utilitatis causa (cap. II), analysim speci-

ficam Decretorum Antesyndalium in luce Synodorum immediate confinium, Zamostianae nempe et Leopoliensis peregrimus. Ex ea argumentum ac valor materiae synodalis clarius emergit, atque insimul ostenditur quo spiritu et qualem scopum prosecuta sit coepta reformatio liturgica secunda medietate saec. XVIII Ecclesiae ucrainicae, cuius Synodus Berestensis, tamquam iuridicus moderator, debuisset ponere prima solida fundamenta atque eius universali evolutioni tutam indicare viam.

2. *Conclusio.* Si nunc conclusiones, ad quas pervenimus, indicare fas est, imprimis dolorem magnum de Synodi Berestensis frustratione exprimimus. Aetate illa, qua Unionis auctoritas ac fundamentum, non tantum a schismaticis, sed etiam a polonis temere conculiebatur, aequalitas ac paritas cum religione latina in Regno Polonico longe desiderabatur, — dum ritus atque caeremoniae sacrae Unitorum, perinde dumtaxat ac eius sequaces, contemptui et offensioni exponebantur, et a constanti excitatione transeundi ad ritum latinum a parte polonica nondum cessabatur, — Synodus Berestensis debuissent intercedere medelamque afferre pro utraque parte: pro Unitis tamquam custos et conservator eorum disciplinae ecclesiasticae, arbiterque insimul legalis pro abusibus irrepsis, pro Polonis autem tamquam signum indelebile existentiae alterius, non essentialiter differentis, religionis in eorum Statu, simulque testimonium huius religionis vivum de ejus morali vi ac potestate, quod secum ducebat iuridicam exigentiam formalis protestationis de eius catholica aequalitate.

Ex alia parte, tenore ipsius Regiae Instructionis pro legatis ad Synodum extraditae, in ea quaestio serpentis odii et reciprocae incomprehensionis inter duas nationes debuisset invenire media, quibus ex parte huic malo obviari posset. Memoriale, porro, dissidentium et Regi porrectum, quo quaestio longe agitata restitutionis ecclesiarum, et monasteriorum, qui in manus Unitorum per conversionem fratrum separatorum ceciderunt, in Synodo dicta perlegi atque resolvi debuisset.

Sed fuere haec duae ultimae quaestiones causae principales Synodi convocationis aegre quis concipiet. Synodus Berestensis suum scopum et characterem plane diversum habuit. Ut autem ad novas, quas iam supra attigimus, causas quaerendas redeamus, dicendum est Synodi celebrationem necessariam fuisse ex intrinsecis causis, quae suas ultimas radices habebant in *campo liturgico* cum adnexis quaestionibus *reformationis Cleri saecularis* atque pernecessaria *elevatione totius vitae culturalis* in Metropoli Kioviensi. Compendium Decretorum Antesyndalium est pro nobis praeclarum atque primarium documentum, ex quo deductae conclusiones suam comprobationem et argumentum haurire potissime queant.

Praetermissis tamen quaestionibus secundariis *de reformatione Cleri* atque *culturalis vitae elevatione*, quae omnia cuique Synodo Provinciali propria sunt, *quaestio liturgica* nostram considerationem meret. Imprimis notare velimus, intimam intercedere cohaerentiam atque similitudinem inter Synodum Berestensem et tendentiam reformativam secundi dimidii saec. XVIII, cuius ultima vox fuit Archiepiscopus Polocensis Heraclius Lisowskyj (1784-1809). Erat *tendentia retrogressiva*, quae pro scopo habebat reditum ad pristinam atque puram Orientalis Ecclesiae disciplinam. In hac linea videtur per excessum processisse Archiepiscopus Polocensis, qui, praeter completam librorum liturgicorum redactionem, intendebat quoque revisionem ipsius Unionis, seu aliis verbis, motu quodam ideologico unionistico ductus, intendebat restaurationem Ecclesiae Unitae in eius pristinam conditionem et positionem in spiritu auctorum Unionis Berestensis (1595) fundatam. Huiusmodi tamen radicalis « orientalizatio », habito respectu ad rerum adiuncta illius temporis, valde periculosa et prematura apparere debuit; exinde nil mirum, si ultimatim nullum effectum reportavit.

Synodus Berestensis, quae initium dedit istius coeptae reformationis liturgicae periodo, eius ultimo propugnatori non est totaliter aequiparanda. Quamvis pro scopo eandem tendentiam habuisset, nihilominus radicalismum similem non continebat, neque a Sancta Sede pro tali existimabatur. Idea « latinizationis » pro ipsa utique fuit aliena, tamen expresse agnovit vim Decretorum Synodi Zamostianae, praesertim eorum, quae ex motivis pastoralibus introducta sunt. Euchologium, porro, Graecorum Benedicti XIV tamquam normam pro administratione Sacramentorum accipiens, cui pariter ceterae disciplinae Ecclesiae Unitae se conformare deberent, non adeo intendit eius completam versionem pro praxi liturgica, quod Archiepiscopi Polocensis proprium fuit. Exinde, videtur, maiorem approbationem atque consensum invenisse Synodum Berestensem apud S. Sedem, quam opus Archiepiscopi Lisowskyj. De cetero, notamus, causae diversae habitudinis et positionis Curiae Romanae ad eandem quaestionem reformationis liturgicae etiam in rerum adiunctis politico-ecclesiasticis quaerendae sunt. In initio motus coeptae reformationis Ecclesia ucrainica apparebat adhuc tamquam *unitas religiosa* bene in sua organica compositione coniuncta, dum versus finem trifarie inter occupantes divisa fuit; idea Synodi Berestensis nata est tamquam fructus Hierarchiae Ecclesiasticae (Metr. Hrebnykyj a. 1761, postea Metr. Wolodkowycz a. 1764), dum reformatio Archiepiscopi Polocensis apparuit tamquam tentamen privati hominis, cui etiam Hierarchia Ecclesiastica (Metr. Smogorzewskyj, Metr. Rostockyj) et Basiliani non in omnibus consenserunt. Laborabat ille pariter gravibus defectibus: nimis premebat pristinam unitatem et uni-

formitatem communis ritus « russico-rutheni », ideoque non semper recte ponebat originem et tempus introductionis variorum « abusuum », neque satis discernebat innovationes anteriores a posterioribus, iam post Synodum Zamostianam introductis.

Hisce ultimis defectibus, si quidam sub tempus Synodi Berestensis accedissent, facilius praecludebatur via. Ad formandam materiam, uti diximus, desideria ex tota Provincia confluerunt, eiusque duplex, in sessionibus antesynodalibus et in ipsa Synodo, examen, eam undique ex partibus perpolitam reddebat. Exinde idea reformationis liturgicae seu tendentia retrogressiva non nimis in Decretis Antesynodalibus urgetur, neque ea sola separatim Synodi convocationem constituere videtur, quia cum notabili accentu premitur quoque reformatio Cleri, elevatio vitae culturalis in Metropolia, erectio Seminariorum, diffusio doctrinae christianae atque quaestiones proxime ad bonum regimen dioecesium spectantes. Tendentia reformationis liturgicae hic exhibetur tamquam *remedium pro abusibus tollendis*, et remedium quidem *colore regressivo detinctum*. Motus ideologico-unionisticus Heraclii Lisowskyj hic abscondite continetur, sublineatur, *sed raro palam manifestatur*.

Quamobrem reformatio liturgica cum sua tendentia « orientalizationis » in Decretis Synodi Berestensis *magis universalis apparet*, quae, qua talis, non constituebat obiectum separatum antesynodalium sessionum, neque cum aliis quaestionibus nimis permiscebatur, adeo dumtaxat, ut suum scopum atque characterem nativum amitteret. Moderatio quaedam Synodo Berestensi iure tribuenda est.

Exinde eius amplitudinem atque S. Sedis in ea cogenda tot frustratos conatus dimetiri liceat. Neque multum, putamus,tribuendum sit plerisque eius celebrationi adversariis, inter quos principalem locum cum maioritate numerica Poloni cum Rege in capite obtinent, quandoquidem isti, uti vidimus, sub praedominanti influxu Moscovitarum, quibus dissidentes adstabant, fuere, eorumque placita per fas et nefas obsequi debebant.

Synodus Berestensis pro nobis apparet tamquam *signum continui progressus atque evolutionis vitae religiosae Ucrainorum*, qui, inde a Baptismate S. Vladimiri Magni, raro suam propriam independentiam politicam habentes, etiam sua praecordia abscondita catholicitatis ore terram patriam occupantium palam manifestare coacti fuerunt, in qua quidem confessione non infrequenter decepti, aut famae detracti exstiterunt. De his rebus historia-magistra abunde nos docet.

Discrepantia vehementius adhuc inter dicta ac veritatem intercedit, si attendamus controversias inter duas nationes vicinas vigentes de quaestionibus (iuridicis et liturgicis), quas S. Sedes Unitis ritus orientalis appro-

bavit ratasque habuit. Hic etiam Synodus Berestensis recensenda est. Non enim agebatur de Decretorum revisione vel de legatis synodalibus assistentia, sed *unice de impedienda Synodo alius communitatis*, cuius incrementum, etiam sub aspectu catholico, periculosum pro Regni unitate a gubernio considerabatur polonico.

PARS III

DOCUMENTA

I. MATERIA SYNODALIS

COMPENDIUM EX MATERIIS SYNODALIBUS AD FORMANDAS CONSTITUTIONES IN CONGREGATIONIBUS ANTESYNODALIBUS EXAMINATIS ET DIGESTIS EXCERPTUM.¹

ARTICULUS PRIMUS

(f. 33). *De observantia Constitutionum Synodaliū et Synodis Provincialibus.*

1. Ad observantiam Constitutionum Synodaliū, tum ad firmandam maiorem unitatem, et concordiam omni quadriennio Synodus Provincialis convocata a Metropolitano celebretur.

2. Omni biennio celebratam, et celebrandam Synodum subsequentem intermediente ante comitia Regni ordinaria fiat congressus Episcoporum, Protoarchimandritae, et Abbatum in loco a Metropolitano designato, in quo agatur tum de rebus et negotiis ad comitia respectum habentibus tum de venturae Synodi materiis, deputentur duo Abbates, qui Metropolitano, aut vices eius acturum aliquem Episcopum Varsaviam comitari, inque rebus agendis circa tuitionem Jurium Ecclesiae adiuvere debeant.

3. Primo, et altero biennio quilibet Episcopus partim per se, partim per specialem Visitatorem Dioecesim suam visitet, ut acta parata cum Informatione de statu suae Dioecesis in Synodo praesentare et Metropolitano ad manum consignare possit.

4. Integro anno ante tempus celebrandae Synodi Litterae Convocatoriae a Metropolitano extradantur ad Episcopos, Protoarchimandritas et Archimandritas singillatim directae.

5. Quilibet Episcopus intra bimestre a receptis Litteris Convocatoriis

¹ Invenitur in ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, ff. 33-44.

Synodum Dioecesanam celebrabit cum clero suae Dioecesis, de rebus in futura Synodo agendis conferet, materias coordinabit, et illas cum plena informatione per suum ad Curiam Metropolitanam Delegatum transmittet, tum deputabuntur quatuor vel sex Delegati ad Synodum Provincialem, quorum medietas a clero illius Dioecesis eligetur, medietas designabitur arbitrio Episcopi.

6. Ante semestre praecedens celebrationem Synodi Delegati Episcoporum ad Curiam Metropolitanam convenientes una cum quatuor Theologis e Basiliana Religione deputatis, interveniente Metropolitanus, aut ab eo Delegato, ordinatis sessionibus consultationes Antesynodales peragent, materias ab Episcopis ex Synodis Dioecesanis transmissas in unum colligent, easdemque singulas discutient, examinabunt, et per vota doctrinalia expendent, ac tandem formabunt projectiva Decreta in futura Synodo examinanda et approbanda.

7. Si contigerit aliquando Metropolitanus anno integro Synodum praecedente Convocatorias pro Synodo Litteras non expedire, tunc Senior vocatione, seu Ordinatione Episcopus deferet hanc negligentiam Metropolitanus Episcopis, ipsi vero Metropolitanus scribet: revocando in memoriam elapsam iam tempus pro indicenda Synodo constitutum, eundemque certiore reddet, se iure suo usurum, et Synodum convocaturum, nisi intra trimestre Metropolitanus muneri suo satisfecerit, talem autem epistolam per aliquam personam in dignitate, aut officio ecclesiastico constitutam Metropolitanus transmittet.

8. (f. 33 v.) Metropolitanus tali epistola convento, nec intra trimestre Synodum convocante mox post elapsam trimestre Episcopus vocatione antiquior Litteras Convocatorias expediet, consultationes antesynodales in sua Curia peraget, atque in Synodo ea omnia implebit et exequetur, quae in actu Synodali Metropolitanus competunt.

9. Licebit Metropolitanus gravi aliqua causa impedito, delata ad Patres Synodi absentiae suae causa, Praesidem Synodalem, quem ex Episcopis censuerit, deputare, eique vices suas committere, pro casu tantum, quo ipse in tempore statuto Synodum convocare studuerit, secus tamen, si id neglexerit, et ius ad antiquiorem vocatione Episcopum devolutum esset, et ab eo Synodus per litteras convocaretur.

10. Synodo intererunt Episcopi, Proto-Archimandritae, Archimadritae, Provinciarum Religiosarum Praesides cum Consultoriis tam Generali quam Provincialibus, in Curia Metropolitana residentes, qui Consultores Synodales nuncupabuntur, tandem Delegati ex Dioecesibus, partim ab Episcopo deputati, partim, ut diximus, a clero electi.

11. Die Synodo celebrandae destinata adveniente praemissa Invocatione Divinissimi Spiritus consedentibus suis in locis in sacro apparatu Episcopis caeterisque Jus interesse Synodo habentibus, iurisdictionem suam fundabit Synodi Praeses, legentur per secretarium Praesidis, qui interesse debebunt Synodo, et absentes connotabuntur. Ordo et distributio temporis consultationibus, et sessionibus synodalibus a Praeside formata publicabitur. Officiales Synodales videlicet: Secretarius, Iudices, Promotor Fiscalis, Bedelli et Cursores deputabuntur.

12. Consultationes Synodales in residentia Praesidis peragentur, in quibus Decreta proiective a Consultoribus synodalibus formata examinabuntur, si opus fuerit reformabuntur, nova etiam, si aliqua ratio postulaverit, condentur, ut tandem parata ad sessiones Synodales, quae in Ecclesia absolvi debebunt, adferri, et publico Synodali Patrum Synodi voto approbari et publicari possint.

13. Iudicium synodali munus erit, praeter diiudicationem causarum, quae aut ad Synodum devolvi, aut sub tempus Synodi contingere poterunt, in causas absentiae vocatorum ad Synodum, nec in eo comparentium inquirere processu summario, praevia tamen harum causarum remissione a Synodo ad iudices synodales, qui, ut diximus, praemisso processu summario Decreta concipient, eademque in consultationibus Synodalibus cum momentis, et motivis legalibus referent, ut haec auctoritate plenae Synodi expendantur, et confirmantur, ac tandem in sessionibus synodalibus publicentur; poena porro in absentes, nec legitimam absentiae causam afferentes, erit amissio medietatis fructuum in pias causas erogandae. Executio harum poenarum pertinebit ad Metropolitanum, aut antiquiorem vocatione Episcopum, si huic aliquando negligentis Metropolitanus vices in Synodo supplere contigerit.

14. Luxus, pompa saeculi cum semper, tum vel maxime sub tempus Synodi a viris ecclesiasticis Ecclesiarumque Pastoribus exulent et transgressores ad instantiam fiscalis Synodalis ad iudices synodales remittantur, pro poenis ab iisdem concipiendis, et per Patres Synodi confirmandis, et publicandis.

15. Circa exitum Synodi agatur de tempore futurae post quadriennium Synodi et tres menses designetur intra quos Metropolitanus elapso quadriennio Synodum convocare tenebitur.

16. Metropolitanus statuta in Synodo una cum descripto statu Metropolitanae Ecclesiae suffraganeorumque Ecclesiarum S. Apostolicae Sedi refert, eaque omnia iudicio et arbitrio supremi Ecclesiae Catholicae Pastoris

Romani Pontificis submittet, opemque Eius pro tuendis Religionis Orthodoxae et Ruthenae Ecclesiae Juribus implorabit; Constitutiones Synodales per litteras publicabit, utque non modo in Metropolitana verum etiam in suffraganeis Dioecesibus debitae executioni demandentur, et observentur sedulo pro suo munere incumbet.

ARTICULUS SECUNDUS

(f. 34) *De Fide Orthodoxa*

1. Dominica dicta Orthodoxiae Ritu solemniter in Ecclesia Orientali instituta haereses omnes anathemate feriuntur.

2. Episcopi curam et diligentiam adhibeant de comitantibus negotiorum causa Kijoviam, ne cum inter schismaticos degunt, cum iisdem in Divinis communicent, proinde Parochi instruant populum de enormitate huius delicti, quod inter reservatos episcopo referatur, ac contra delinquentes crimine, ut contra suspectos de schismate procedatur.

3. Confugientes in Valachiam pro obtinendis Sacris Ordinibus ab exercitio Ordinum perpetuo arceantur, cum et veri apostatae sint, nec fidem certam susceptorum Ordinum adferant, quos a vagis per Valachiam cursitantibus nullam fixam Sedem habentibus schismaticis Episcopis suscipere vulgo feruntur.

4. Nati et educati in ditionibus Moscoviae a susceptione, aut si ordinati iam venerint, ab executione Ordinum per aliquot annos omnino arceantur, donec probati evadant, quod animo conversi sint, non ex aliquo privato respectu, aut in fraudem S. Unionis Religionem Catholicam mentiantur, et ne res dolo aliquo involvatur. Episcopi, sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae, nemini tam e saeculari, quam e regulari clero Ordines conferant, nisi certam originis et baptismi fidem, nulli suspicioni obnoxiam, produxerit.

5. Decani sub tempus visitationis quotannis inquirant primo de illis, qui educationi aut alia de causa ad schismaticos se conferant, secundo de illis, qui a schismaticis veniunt et inter Catholicos Ritus Nostri domicilia figunt. Tertio tandem de illis, qui doctrina destituti disputationes cum schismaticis de Fide temere instituunt, de quibus omnibus Episcopum informant.

6. Nullus Parochorum benedicat Matrimonia Catholicorum ritus nostri

cum schismaticis aut haereticis, nisi coniux in schismate aut haeresi persistens coram Episcopo sponderit, et scripto firmaverit promissum de prole in religione Catholica educanda.

7. Cum haereticis Philipovianis procedendum, ut in Zamosciana Synodo praescriptum est, ordo dumtaxat sequens adiunctus: primo, Episcopus moneat loci Dominum, ut haereticos e fundis suis pellat, et hanc epistolam per personam in officiis, aut dignitate ecclesiastica constitutam transmittat; secundo, si monitioni non paruerit loci Dominus, et fuerit alterius ritus, ad Ordinarium illius negotium deferatur, ut hic per media iuris procedat. Hic passus pariter per litteras officiosas, per personam in officio, aut dignitate ecclesiastica constitutam transmittendas peragatur, tandem si nullus fructus obtineretur, referat de his omnibus Metropolitanus Episcopus, et illi documenta suae diligentiae pastoralis transmittat, Metropolitanus autem re tota ad Sedem Apostolicam delata, Episcopo opem et auxilium implorabit.

8. Episcopi sub poenis in iure statutis prohibeant omnibus Christi fidelibus, tam clericis cuiuscumque status, quam laicis ne iis inconsultis libros haereses continentes legant, apud se retineant, et conservent. Eadem poena extendatur in illos, qui scientes apud aliquem tales libros exstare, eundem loci Ordinario non detulerit; libri vero huiusmodi intercipientur, aut conservantes censuris ecclesiasticis adigantur, ut eosdem libros loci Ordinario consignent; eadem ratio servanda cum libris mores honestos corrumpentibus, divinationes, superstitiones, aut sortilegia continentibus.

9. Censores librorum viri pii et docti in Dioecibus constituentur ab Episcopis, et absque eorum censura libri nec typis edantur, nec alio allati a bibliopolis venales exponantur.

10. Inservientes Hebreis et braxatores festos dies violantes aliquoties moniti solemniter sepultura careant, etiamsi morte instante poenitentes ex hac vita decesserint; ab hac poena tamen liberi sint qui ante ultimam infirmitatem resipuerunt, et monitis paruisse comperti fuerint.

ARTICULUS TERTIUS

(f. 34) *De Doctrina Christiana mediisque aptis et facilioribus, quibus plebs erudiri queat.*

1. Episcopi sedulo curent, ut in munere praedicationis, quod ipsorum

est proprium, adiutores habeant, qui eorum vices hac in parte adimplere possint.

2. Qua in parte adiutores habebunt primo parochos, uti non solum in sortem Domini, verum etiam in levamen curae eorum pastoralis adscitos, deinde concionatores, et missionarios, quos omnes non modo doctrina, sed et probitate conspicuos esse oportet; cum id plerumque sine fructu docetur, quod pravo morum exemplo a Doctoribus improbatur, alterum quod in divini verbi dispensatoribus permaxime desideratur, est vera charitas, quae sola Doctores christianae legis zelo vero cum prudentia iuncto, sapientia ad sobrietatem, constantia et patientia excepto opere instruere poterit.

3. Stylus in praedicatione gravis, perspicuus, et simplex adhibeatur, ut populus fructum animarum suarum, non vanam gloriam a praedicatione quaeri cognoscat, id vero vel maxime diebus dominicis, et festis impleatur, et populus christianus ab otio, computatione, et ludis ad pabulum spirituale avocetur, qua in re si parochi negligentes fuerint, toties quoties per negligentiam deliquerint, multa pecuniaria quinque florenorum a Decano exigenda puniantur, quod si Decani negligentiores per conniventiam fuerint, ipsi poenam dupli solvere tenebuntur.

4. Construatur intra annum a publicatione Statutorum Synodaliū mandato Metropolitanī duplex Catechismus, alter longior per materias morales et dogmaticas textui Evangeliorum in singulis Dominicis et diebus festis legi in Ecclesia solitorum accommodatas, modo vero catechetico explanatas, (f. 34v.) alter brevior, in quo compendiose doctrina ecclesiastica exposita sit. Primo catechismo utantur parochi minus sufficientes ad praedicandum loco concionum, altero vero tunc, dum rudes, aut pueros doctrina christiana informabunt.

5. Cum vero ab una Dominica ad aliam tradita a parochis doctrina facile e rudis populi memoria evanescit, nec eandem memoria tenebunt, nisi quotidie per aliquod saltem tempus instruantur, curent proinde parochi re cum locorum Dominis et Senioribus populi collata hunc ordinem instituere, ut saltem pueri nondum per teneram aetatem ad operas praestandas apti hora aliqua diei statuta ad domum parochi conveniant cum quibus omni die preces consuetas recitentur, et Catechismus brevior iisdem in memoriam revocetur. In pagis vero, in quibus nulla Ecclesia, aut domus parochi reperitur, sequenti modo precedendum est ut parochus ex toto pago aliquem puerum ad domum suam adsciscat, et per aliquot tempus doctrina christiana instruat, instructum vero ad pagum eius remittat, populoque eius pagi comendet, ut quotidie pueros ad domum huius Cate-

chistae mittant doctrina christiana instruendos, qui in tenera aetate facile id quod viro christiano scire incumbit addiscentes, postquam adoleverint, parentesque facti fuerint, liberos quos suscepturi sunt doctrina christiana informabunt, nec facilius expeditiorque propagandae doctrinae christianae praemisso modo adinveniri potest. Huic legi si aliquis e laicis se opposuerit et parochorum mandato non obtemperaverit, privatione Benedictionis ecclesiasticae et usus Sacramentorum puniatur, nisi probaverit, et se et familia msuam doctrina christiana sufficienter instructam esse, si vero parochi in executione huius legis negligentes comperti fuerint pro mulcta pecuniaria sub libero etiam rei alicuius arresto exigendae per Decanum puniantur, tum si se emendare renuerint ad Episcopos deferantur, gravissime pro arbitrio eorum castigandi.

6. Quicumque de clero tum regulari, de suorum superiorum licentia, tum saeculari missiones sacras modo tamen simplici et catechetico obire voluerit, eos omnes singulari benevolentia et omni charitate Episcopi complectantur, et non modo facultates necessarias, sed et omnem hocce ministerio apostolico opem et adiutorium illis praestent; attendant tamen, ne in hocce apostolico ministerio abusus aliqui irreparent, praesertim ne ad questum agatur.

7. Redeuntes ex alumnatibus, et Seminariis, Missiones per biennium absolvant sub inspectione et iurisdictione Decanorum in quorum districtibus operam suam exercebunt, quam in hoc saluberrimo opere zelum et diligentiam suam probaverint, qua in re non liceat dispensare Episcopis, nisi de consensu Metropolitanis, expensa scilicet causae gravitate, quae dispensationem suaderet, nec Metropolitanus facultatem dispensandi impertiatur, nisi in uno anno. Redeuntes a missionibus afferrant testimonia a Decanis, recte, pie, diligenter, ac exemplariter gesti muneris; alimenta, dum missiones obibunt, ipsis praestentur, partim ex mulctis pecuniariis, partim ex liberalitate Episcoporum.

ARTICULUS QUARTUS

(f. 35.) *De Sacramentis tam in genere quam in specie.*

1. Cum ob multiplices diversas Ritualium editiones introducta sit magna deformitas in administratione Sacramentorum, statuat S. Synodus, quatenus Rituale Graecorum iussu S. M. Benedicti XIV Romae editum ab omnibus usurpetur, et adamussim observetur; antequam autem textu sla-

vonico cum graeco collato emendatum typis mandetur, in Synodo Provinciali praesentetur, et revideatur, ipsumque sic revisum originale ab Episcopis subscriptum in archivo Metropolitano conservetur.

2. Cum administratio Sacramentorum debet esse omnino gratuita, vitandaque sit omnis occasio, qua administri Sacramentorum in suspicionem Simoniae trahantur, prohibeat S. Synodus, ne ob debita nondum exsoluta, aut obsequia negata quispiam a susceptione Sacramentorum, ab eo ministro, cui debita exsolvenda veniunt, aut cui obsequia denegata fuerunt, arceatur. Cum autem in multis Ecclesiis mos inoleverit, ut populus pro caera et thymiamate in obsequium Ecclesiae olim contribuere consueverit sub tempus confessionis Paschalis, quod ad praesens multis offendiculo esse constat, statuatur S. Synodus, ut hanc exactionem, ubi ob paupertatem Ecclesiae iusta esse potest, non in circumstantiis confessionis Paschalis parochi exigant, sed alio sibi bene viso tempore, ita tamen ut haec exactio sit modica, cum charitate petita, eaque non aliter, nisi in obsequium Ecclesiae sub gravi poena a parochis impendatur, salvis tamen oblationibus fidelium spontaneis, quae in usum et commodum parochi cedere poterunt.

3. Hebraeorum parvulos iuxta antiquam Ecclesiae disciplinam non esse baptizandos, nisi alterutrius parentum voluntas intercesserit.

4. Ne ob multiplicationem patrinorum cognatio spiritualis multiplicetur, attendant parochi, ne plures ad levandum de Sacro Fonte infantem personae, quam duae admittantur.

5. Obstetrices a parochis approbentur feminae piae, sobriae, instructae prius quo modo valide Sacramentum Baptismi periclitanti infanti conferre possint, eaeque a Decanis sub tempus visitationis super huiusmodi scientia examinentur; id quoque comendandum obstetricibus S. Synodus praecipiat, ut instante partu aquam paratam habeant ad baptizandum, si extremae necessitatis casus postulaverit.

6. Oratio cum tributione nominis recens nato infanti coram sola obstetrice in porticu Ecclesiae non recitetur, sed solum nomen obstetrice interrogante assignetur, si nec sacerdos domum infantis adire, nec infans commode ad portam Ecclesiae adferri possit, oratio autem consueta pro tributione nominis praescripta recitetur immediate ante Baptismum.

7. Vigilent diligenter parochi, ne catholici parentes, etsi alteruter coniux foret heterodoxus, liberos suos apud heterodoxos baptizare audeant, quodsi id fecerint, ad poenitentiam excitentur, utque liberos suos, dato scripto, aut fide publica educandi eosdem in catholica fide, religioni restituant,

moneantur, quod si monitis (f. 35 v.) parere negligenter, deferantur locorum Ordinariis.

8. In susceptione hebraeorum, aliorumque infidelium adultorum, qui ad fidem catholicam convertuntur, antequam baptizentur, si id commode fieri poterit omnino serventur interstitia in Euchologiis praescripta, « Ohlaszenie » dicta; ne vero non probati in fide et carnis maceratione ad S. Baptisma admittantur, quo faciliter, ut interdum contingit, a Fide Catholica deficiunt, per quadraginta praecedentes dies in jejunio exerceantur, nisi aliter Episcopo ex certis, et rationabilibus causis visum fuerit, et reliqua circa illos in Euchologio praescripta adimpleantur.

9. Non intermittant parochi feminas partui proximas frequenter monere, ut conscientias Confessione Sacramentali expient, iisque crebro inculcent, ne infantes ob suffocationis periculum in eodem secum lecto collocent.

10. Oleum Catechumenorum et aquam pro conferendo Baptismate semel benedictam in aliquo integro, nitido et clauso vase ad quartam partem anni in Ecclesia conservare permittit parochis S. Synodus, cum utriusque benedictionis ritus in Orientali Ecclesia sit oblongior, et difficile redderetur in unoquoque Baptismate eandem benedictionem repetendi; meminerint tamen parochi in casu necessitatis, ubi infans in periculo mortis versaretur, si benedicta ad manus haberi non posset, quamcunque aquam ad hoc sacrum lavacrum tuto et valide adhiberi posse.

11. Cum omnis huic Sacramento, per quod in filios Dei, ex filiis irae renascimur, debeatur reverentia, curent parochi Baptismum non in privatis domibus, sed in Ecclesia administrare, excepto tamen tempore hyberno, quo absque ulla dubietate, ne infans ob aeris rigiditatem discrimen valetudinis incurrat, in domo parentum aut in domo propria Baptisma conferat.

12. Sacrum Chrisma impensis Episcoporum conficiatur, et nullo quocumque titulo, exacto praetio, parochis omni anno a locorum Ordinariis gratis distribuatur, in loco decenti et clauso intra Ecclesiam servetur, ad morbos oculorum depellendos, aliosque similes usus non adhibeatur; poenamque suspensionis ipso facto incurrat, si quispiam e parochis hunc sacrilegum abusum committere ausus fuerit.

13. Iniungat sub poenis gravissimis Sacra Synodus, ne in administratione Sacramenti Confirmationis ministri aliquod instrumentum adhibeant ad inugendum baptizati corpus, sed hanc unctionem pollice inuncto absolvant.

14. Tempus Confessionis Paschalis, attenta in multis parochiis populi multitudine, cui opera unius parochi par esse nequit, incipiat a sabbato

inclusive praecedente Dominicam Orthodoxiae ad Dominicam inclusive Myroforarum, servato tamen Episcopis statuendi pro suis Dioecesibus, prout melius ipsis in Domino visum fuerit, arbitrio circa tempus Confessionis Paschalis etiam ulterius prorogandum. Quodsi aliquis fidelium cuperet apud alienum parochum, aut quemcumque pro ea Dioecesi approbatum sacerdotem confessionem paschalem absolvere, exposcat a suo parochio licentiam, quam parochus omnino dare teneatur, ea tamen adiuncta conditione, ut qui de licentia proprii parochi apud alium sacerdotem confessionem paschalem absolverit, fidem in scripto de absoluta huiusmodi confessione parochio adferre obligatus sit.

15. Casus, quos sibi reservant Episcopi per Dioeceses publicent, eorumque notulam habeant parochi in Ecclesia affixam; praeter Poenitentiarios Cathedrales ad absolvendum a casibus reservatis approbatos, Decano in quolibet Decanatu, aut alteri sibi (f. 36.) bene viso sacerdoti facultatem a peccatis reservatis absolvendi Episcopi tribuant, ne indigentes tali absolutione longinquo ad Episcopum itinere terreantur, et sacrilegis confessionibus occasio praebeatur.

16. Sacerdotes ad excipiendas confessiones fidelium approbati Monialium confessiones, nisi specialiter ab Episcopis ad id approbentur, excipere non audeant. Episcopi porro expendant: an approbati aetatem, pietatem, prudentiam et doctrinam a Sacris Canonibus praescriptam habeant. Praeter ordinarios Monialium confessarios, extraordinarii etiam ad praescriptum Constitutionis Benedicti XIV ab Episcopis deputentur.

17. Parochi, alique sacerdotes, et reliqui in Sacris Ordinibus constituti Clerici, saltem semel omni mense conscentiam confessione expiare satagant, ut non modo pura conscientia res sacras tractare possint, verum etiam, ut bono frequentis confessionis exemplo laicis praeluceant, fidem absolutae omni mense confessionis in scripto habeant, ut ab Episcopo, aut Visitatore interrogati exactam suam in observantia huius Constitutionis diligentiam probare queant.

18. In Missis Praesanctificatorum et extra sacrificium Missae non distribuatur Sacra Eucharestia fidelibus, praeter Viaticum aegrotis, cum extra casum extremae infirmorum necessitatis, violari absque reatu peccati lethalis non possit lex et disciplina Orientalis Ecclesiae de sumenda etiam a laicis in ritu graeco sub duplici specie Eucharistia, ubi Graecorum sacerdotum copiam habere possunt.

19. Ad Sacramentum Extremae Unctionis administrandum infirmis purum, nec cum vino mixtum, oleum olivarum adhibeatur; quod si quis contra facere praesumeret et quorundam privatorum ausum temere sequeretur,

mulcta pecuniaria arbitrio Episcopi designanda et suspensione a divinis puniatur.

20. Si contigerit parocho Sacramentum Extremae Unctionis administrare personis peste, aut contagine infectis, tum, iacentibus pauperibus in plateis tempore praesertim pluvioso, liceat iisdem in his casibus solum oleum pro Extrema Unctione in Ecclesia benedicere, et absoluta administratione Sacramenti, quod supererit reliquum in Ecclesia comburere.

21. Extra casum qualiscumque necessitatis, aut utilitatis Ecclesiae non fiant Ordinationes ab Episcopis nisi tempore quatuor jejuniorum a Graecis usitatorum, ultimo Ordinandorum examine in praxi ipsius Episcopi, aut ab eo specialiter ad hunc actum delegatae, probae, prudentis, et doctrina praeditae personae praemisso. In Ordinationibus porro Instructor Ordinandos producat, et pro sua conscientia publice in facie Ecclesiae super habilitate Ordinandorum testimonium ferat.

22. Ut autem omnino gratuito Sacri Ordines conferantur, viteturque non modo culpa, verum etiam omnis culpae suspicio, prohibeat S. Synodus, poenasque legibus ecclesiasticis praescriptas innovat, ne ab ordinandis quidpiam ullo colore, praetextu, directe, aut indirecte, etiam nomine spontanei doni a quocunque exigatur, vel oblatum acceptetur. Cum autem antiqua Orientalis Ecclesiae lege, quam etiam Synodus Kioviensis sub Cyrillo III Metropolitano Russiae celebrata innovavit, statutum sit, ut ordinati peracta Ordinatione, non in rem Episcopi, sed ministrorum Cathedralis Ecclesiae septem minas, non ut pretium Ordinum, sed tamquam debitum ecclesiasticum conferrent, quod forte (f. 36v.) et praevaricationibus Legis. si quae contigerunt, et crebris etiam contumeliis et calumniis ansam praebuit, statuit S. Synodus, ut huiusmodi minae, quarum singulae iuxta communem opinionem aureum nummum continebant, et simul sumptae septem aureis taxarentur, ad solos quadraginta florenos polonos reducantur, neque in erarium, aut commodum quodcumque Episcopi, sed ad manus alicuius ministri episcopalis, quem Episcopus designaverit, exsolvantur, et ab illis, qui eos exsolvunt in liberculo distincto connotentur, ac tandem omni anno in unum computati Episcopi arbitrio in ministros episcopales dividantur ita, ut haec divisio in eodem liberculo expressa manu Episcopi subscribatur, ac tandem peracta divisione, unusquisque dictorum ministrorum quidquid ex manibus depositarii harum pecuniarum acceperit, quietationem de persoluta sibi iudicio Episcopi quantitate in eodem liberculo connotare teneatur.

23. Super Sacramento Matrimonii ad antiquam legibus ecclesiasticis et nominatim Synodi Zamoscianaes praescriptam disciplinam id dumtaxat haec

S. Synodus adjiciat, ut parochi aliis sacerdotibus matrimoniis suorum parochorum assistendi licentiam dantes, eandem in scriptis exprimant, quod scriptum libro metrics copulatorum inseratur, utque super doctrina Christiana matrimonium contrahentes examinent statim ac contractura persona voluntatem ineundi matrimonii coram eo declaraverit, quos si rudes, nec satis idoneos, ut prolem in lege christiana educare sciant, esse compererit, tamdiu benedictionem nuptialem differat, quousque scienda ab homine christiano perfecte non didicerint, adiecta in negligentes, et huic constitutioni refragantes parochos poena pecuniaria decem marcarum, quarum medietas delatori adiudicari debet, ut facilius transgressores iudici ecclesiastico per delatores innotescant.

24. Decani sub tempus visitationis inquirent serio: an parochi circa administrationem Sacramentorum debitam sobrietatem, et gravitatem servent? an populum de conditionibus et requisitis ad validum, et licitum Sacramentorum usum doceant? an administratione Sacramentorum ad turpe lucrum aliquod utantur? denique an adhibeant sacrum vestitum, et eum, qui in Rituali praescriptus est?

ARTICULUS QUINTUS

(f. 36v.) *De Ecclesiis, earum ordine, et nitore, nec non divinis officiis publice in Ecclesiis celebrandis.*

1. Ecclesiae, et Oratoria publica nullibi erigantur, nisi benedictio loci, in quo erigenda erunt, ab Episcopo aut eius delegato ritu ab Ecclesia praescripto praemittatur, et in eorum erectione antiqua Ecclesiae consuetudo quantum commode fieri poterit servetur, ut Sanctuarium orientem solem respiciat; erigenda porro Ecclesia, aut Oratorium publicum in tres partes necessario dividatur; prima complectatur Sanctuarium, seu Magnum Altare, quae a reliquis partibus Ecclesiae seu muro, seu tabulis ligneis, seu tandem ubi paupertas loci obstet tela secernatur, et ad illud per tres portas pateat accessus. Prima porta, eaque amplior, et ornatio, Regia a Graecis dicta, per quam nisi presbytero et diacono Sacrum Altare ingredi liceat, duae vero collaterales per quarum unam septentrionalem Sacrorum donorum translatio ex Prothesi ad (f. 37.) Magnum Altare pro antiquo Ecclesiae ritu fieri debet; altera Ecclesiae pars media complectatur chorum, et locum fidelium Sacris Officiis adstantium; tertia tandem porticus, Narthex a Graecis appellata, in qua Sacra Lytia et divina Officia nonnul-

lis per ritum Orientalis Ecclesiae praescriptis temporibus absolvi debebunt. Et quanquam nihil apud Deum immundum censi debet, quod culpa et divinae Legis transgressione inquinatum non sit, laudare tamen antiquam Christianorum consuetudinem haec S. Synodus non praetermittat, quod fideles licitam respective pro statu suo, aut involuntariam carnis immunditiam passi ob reverentiam Sacri, et divino cultui destinati loci in porticu Ecclesiae, divinis Officiis assisterent, nec viciniore Sanctuario Ecclesiae partes ingrederentur, quod a compluribus hucusque observari compertum est, declarat tamen insimul id humilitatis, et pietatis causa dumtaxat observari posse, neque ullo periculo reatus conscientiae ad huiusmodi observantiam fideles adstrictos esse.

2. Cum vero hic ordo, et internus Ecclesiarum cultus paucis retro annis mediante hominum novitati studentium opera omitti, imo etiam magna ex parte abrogari, Sacri Ritus in Liturgia, aliisque Ecclesiasticis Officiis immutari, Sacrorum vestimentorum forma in novas inusitatas figuras transformari cum summo Ecclesiae dedecore, et schismaticorum scandalo ceperit, imprimis curam diligentem adhibeant Episcopi, ut huiusmodi supra praescripta forma quantum fieri potest in Ecclesiis redintegretur, Sacrorum vestimentorum, et vasorum decens figura, usus lanceae in Proskomediam, et asterisci seu stellae non modo in solemnioribus, sed in privatis etiam Missis restituatur. Magistri caeremoniarum Rituum Orientalis Ecclesiae probe gnari per Ecclesias Cathedrales, et regulares, qui eorundem Rituum observantiam promoveant ab Episcopis, aut cum scitu eorum instituantur; quodsi deinceps contra ritum Orientalis Ecclesiae quisquam, et quacumque dignitate ornatus consuetudinem diversam introduceret, hic praeter noxam peccati lethalis uti refractarius in re gravi Legi Ecclesiae, si fuerit Episcopus interdicto ab ingressu Ecclesiae, si vero Clericus cuiuscumque status, suspensionis a Divinis, et interdicti poena, si integra communitas hanc legem pertinaciter violare praesumeret, subiaceat. Quod ut debitae executioni demandetur praecipiat visitoribus S. Synodus, ut dum visitant Ecclesiam, praescriptorum praesenti constitutione rationem habeant, et quos delinquentes repperint, poenas in eosdem praesenti constitutione latas extendant. Quod si ipsi visitatores negligentia, aut humano respectu ducti praesentis legis violationem dissimulaverint, sciant se poenam suspensionis ipso facto incursum. Hanc tamen legem non obligare declaret S. Synodus, nisi post biennium a publicatione Decretorum Synodaliu[m] computandum, ut hoc biennio reformanda reformari, et pro ritu Orientalis Ecclesiae in antiquam formam restitui queant.

3. Ut autem non modo circa administrationem Sacramentorum, verum

etiam reliqua divina Officia, Ritus, et antiqua Disciplina Orientalis Ecclesiae restituatur, adsitque norma generalis, cui se omnes Ecclesiae conformare debeant, deputentur per hanc S. Synodum viri Rituum Ecclesiae Orientalis, et linguae graecae periti, qui rubricam seu Typicon Graecorum typicis conforme conficiant, in quo exacte ratio divinorum Officiorum peragendorum describatur per futuram Synodum (f. 37v.) examinanda, et approbanda, a quibus etiam construatur liberculus in quo Synaxaria, seu lectiones diebus festis propriae, et Acta Sanctorum breviter continentes describantur, quae Synaxaria non modo in Officiis Divinis publicis post Ode sextam in Canone Matutino, verum etiam in privatis sub praecepto legantur.

4. Ecclesiae habentes tecta straminea interdicantur, nisi in spatio duodecim hebdomadarum moniti Ecclesiarum curatores, iisdem tecta convenientia superinduxerint.

5. Vigiliae consuetae cum nocturnis precibus, ubi cum gravi Schismaticorum scandalo et Sanctae Unionis damno sunt intermissae, Festis saltem solemnioribus Salvatoris et Deiparae omnino restituantur, sub poena quinque marcarum pro singulis omissionibus luenda.

6. Coemeteria, seu sepulcra Christianorum in iis pagis, in quibus deest Parochialis Ecclesia ab antiquo tempore introducta, ubi non sunt septa, intra annum cura et impensis Parochianorum septis circumducantur, et erecta cruce insignita sint sub poena interdicti a visitoribus in inobedientes tempore visitationis extendenda.

7. Ritus lotionis pedum in die Cena Domini per Ecclesias Cathedrales et Regulares, nec non neglecta Dedicacionis Ecclesiae solemnitas in omnibus etiam Parochialibus Ecclesiis restituatur.

8. Officia Divina, Matutinum scilicet, Horae et Vesperae omnibus diebus Dominicis et Festis nullis omissis caeremoniis in Ecclesiis Parochialibus absolvantur, nec non S. Lyurgia cantata sub poena, quotiescumque aliquis parochus contra praesentem Constitutionem deliquerit, marcarum quinque; quo circa cantor penes unamquamque Ecclesiam Parochialem, et custos Ecclesiae, seu sacrista clerici conserventur. Quod si aliqua Ecclesia pro cantore et sacrista nullam distinctam dotem habuerit adsignatam, nec ex redditibus parochi illis modus vivendi assignari posset, parochianis onus incumbet convenientem pro huiusmodi ministris Ecclesiae dotem providere, nec ad vacantia Beneficia Episcopi instituant parochos, donec sufficiens ad praemissum effectum a iuris patronis, aut parochianis provisio assignetur.

9. (Hic numerus desideratur in copia! Probabiliter scriba errorem fecit in transcriptione, nam statim post numerum 8 sequitur 10.)

10. Expositiones SS. Sacramenti non fiant tam in Regularibus, quam in Saecularibus Ecclesiis, nisi obtenta licentia loci Ordinarii; Ordinarius autem inquirat et examinet an decenter pro maiestate, et debita reverentia id fieri possit? Modus autem exponendi SS-mi Sacramenti, quot vicibus?, quot cum candelis?, sit conformis Edicto Clementis XI per Monacellum Formularii legalis parte 2 relato.

11. In administratione Sacramentorum, et Divinorum Officiorum celebratione recentissime introductum Superpelliceorum usum interdicat S. Synodus, eumque solis Acolythis, aut inservientibus Ecclesiae relinquat, imagines etiam deformes ex Ecclesiis per visitatores eiiciantur, et ne in post similes imagines in Ecclesias introducantur; moneantque parochos et Ecclesiarum Curatores, ne alios pictores adhibeant, nisi eos quos pro picturis Ecclesiasticis locorum Ordinarii approbaverint.

12. In celebratione Sacrosanctae Lyrurgiae sollemnis omnes novitates temere introductas abroget S. Synodus, Ritumque per recens edendum Lyrurgicon cum (f. 38.) Lyrurgico Graecorum Romae edito collatum et per Sanctam Synodum recensendum strictissime servari praecipiat. In praeparandis Prosporis adhiberi demandet omnem curam, nitorem et diligentiam, sintque signata pro antiquo Orientalis Ecclesiae ritu, abstinendo ab omnibus aliis figuris, sola cruce cum litteris graecis.

13. Missa Praesanctificatorum statutis a iure Ecclesiae Orientalis diebus absolvatur in Quadragesima, in qua Missae sollemnes seu cantatae intermittant; solo Festo Annuntiationis Deiparae, diebus Sabbati, et Dominicis exceptis, quibus Quadragesimale Officium omittitur.

14. Eulogiae seu Antidora ab hinc annis intermissa revocentur in usum, cum sint unitatis Ecclesiasticae, et charitatis christianae symbola, quorum fragmenta ut sufficiant populo Sacris intervenienti, attendant parochi ut pro numero parochianorum parent proportionatas Prosporas.

15. Mendici ne sub tempus Divinorum Officiorum causa stypis colligendae per Ecclesiam vagentur, neve in porticu Ecclesiae, aut coemeterio adstantes cantilenis suis Divina Officia perturbent, Rectores ecclesiarum prohibeant.

16. Aqua minoris Benedictionis ritu prima die Augusti usurpari solito omni mense in omnibus Ecclesiis benedicatur, eaque sollemnis aquae Benedictio absolvi poterit in die dedicationis aut Festi titularis ecclesiarum.

ARTICULUS SEXTUS
(f. 38.) *De Metropolitano.*

1. Electio seu recommendatio vacante sede Metropolitanæ ad Regiam personæ ad id muneris reliquis aliis magis idoneæ non omittantur; Administrator Sedis Metropolitanæ vacantis, a termino captæ administrationis Episcopus, quam primum potest, convocet, et recommendationis literas ab omnibus intervenientibus huic congressui Episcopis subscriptas expediat ad Regiam iuxta Breve S. M. Benedicti XIV. Itidem si Metropolitanus ob causam iustam et rationabilem coadiutorem cum futura successione eligere vellet, non prius id facere possit, quam convocatis Episcopis eorum consilium et vota audiat.

2. Cum iura et privilegia non modo bonum temporale verum etiam integritatem S. Unionis fulcentia in privilegiis Metropolitanorum potissimum fundata sint, omnium Ruthenæ Ecclesiæ membrorum ratio postulat, ut iura sui Capituli omni conatu et diligentia cum in aliis subselliis, tum vel maxime in Regni Comitibus unitis viribus tueantur et propugnant.

3. Curia Metropolitana sit fixa, et bene ordinata nec instantiæ in gradu appellationis, seu recursus ad Metropolitanum omittantur, salva per omnia a sententiâ Metropolitana ad quem de iure appellatione.

4. Ut autem et necessitatibus Ruthenæ Ecclesiæ et piæ intentioni fundatorum satisfiat, demandet S. Synodus Abbati pro tempore Suprasliensi, ut ad præscriptum foundationis Residentiæ Basilianæ Varsaviensis ab Abbate Suprasliensi dependentis, per Leonem olim Kiszka, Metropolitanam Russiæ, factæ, personam prudentem, iuris peritam, rerum usu præstantem in eadem residentiâ manutenere curet, qui totius Hierarchiæ negotia diligenter promoveat, et Metropolitanæ (f. 38v.) rationem gesti Officii reddere teneatur. Cum negotia, quæ maturo consilio geruntur, feliciter Deo opitulante procedant, ne quidquam Metropolitanæ deesse debet, quominus vitandis schismaticorum insidiis tuendisque Ecclesiæ Orthodoxæ Ruthenæ iuribus efficacem operam adhibere possit, opportunum censeat S. Synodus, ut delegati Episcoporum viri eruditi, probi, iuris et statu Reipublicæ peritiæ instructi in Curia Metropolitana residerent, quorum consilio in rebus universalitatem Russiæ et rectum Provinciæ regimen respicientibus Metropolitanus uteretur, salva semper Metropolitanæ auctoritate et operandi, quicquid melius videretur, facultate, hoc unico cauto, ut proposita materia, et dato eis spatio ad deliberandum sensum, et vota eorum, antequam quidpiam decernat, exaudire Metro-

politanus teneatur; vota porro sua, exquisito per literas, si per tempus licebit, Episcoporum respective suorum sensu, in scripto adferent, quae in unum collecta in archivio Metropolitano reponantur; cum vero, qui commodum sentit, incommodi aliquid ferre debeat, dignabitur quilibet pro tempore Metropolitanus Delegatos Episcoporum in Curia sua residentes honesto et convenienti victu providere.

5. Cum vero praeter victum dictis Delegatis, uti dignis mercede sua operariis, pensio aliqua honesta pro eorum necessitatibus debeat, hanc haberi posse ex cassa Dioecesana declaret S. Synodus; eligatur nimirum unus ex gravioribus et ditioribus Clericis quaestor, ad cuius manus contributio dioecesana pro Procuratoribus dioecesanis colligi quotannis solita importetur, ab eodem quaestore mulctae pecuniariae Decretis iniunctae, praevia de receptis quietatione, exigantur, et in eadem cassa reponantur, tunc, anno transacto, calculum cum quaestore Episcopus ineat, et quidquid collectum fuerit, in unum conferat; ex integra tandem summa pensionem pro Procuratore, qui intra Dioecesim negotiis Cleri attendit, assignet, reliquum autem, quod cessante causa negotiis providendi Varsaviae Procuratorem specialem, constituto ibidem pro omnibus Dioecesibus Generali Hierarchico Procuratore, supererit, si ad summam centum talerorum ascendet, in annuam pensionem Delegato suo in Curia Metropolitana transmittet; quod si summa collecta centum taleros, seu octingentos florenos polonos non adaequaret, eius quod deficiet medietas ex aërio Episcopi, medietas autem altera ex contributione, quae satis in singulos parochos dividetur, erit modica, cleri supleatur. Excipiendum tamen ab regula pronuntiet S. Synodus Episcopum Pinscensem, qui cum nec de redditibus suis modicissimis, et vere dignitati Episcopali insufficientibus quidpiam cedere possit, nec clerus, qui praeterquam quod reliquarum Dioecesium clericis est inopior, solis centum quinquaginta parochialibus ecclesiis continetur, collectam pauperam soli Procuratori dioecetano contribuere facile queat; quo circa potestatem Episcopo Pinscensi faciat, ut vices Delegati Pinscensis alterius Episcopi Delegato comittere valeat. Porro praedicti Delegati dum a suis Episcopis electi ad Curiam Metropolitanam mittendi erunt, iuramento fidelitatis erga proprium Episcopum se obstringent, et quod dum per tempus et negotia mora patientia licebit, sensum sui respective pastoris super proposita a Metropolitano materia per literas exquirent.

6. In signum suae auctoritatis more, et usu antiquo Praedecessorum suorum deferat Metropolitanus caputium album cruce distinctum.

7. In literis convocatoriis ad congressus tam ordinarios, quam extra-

ordinarios exprimantur a Metropolitano Episcopis materiae, super quibus congressus est habendus, (f. 39.) ut hi tempestive instructi cum re maturo iudicio discussa parati adveniant, nec res tumultuario consilio inexaminatae decernantur.

ARTICULUS SEPTIMUS

(f. 39.) *De Episcopis, Ecclesiis Cathedralibus, Archiviis dioecesium, Synodis dioecesanis, et Visitationibus.*

1. Cum Episcopus, uti Pastorum Pastores irreprehensibiles esse oporteat, ut facti forma gregis ex animo, non modo praeceptis, et doctrina, sed etiam exemplo vitae inferioribus praeluceant, hortetur omnes Episcopos S. Synodus ut frequenter rerum divinarum meditationi, et sacrae lectioni vacent, ex qua, veluti e copioso fonte et normam vitae exemplaris atque irreprehensibilis, et modum cum zelo atque prudentia regendi Domini gregis facile haurient; a cupiditate et rerum temporalium affectu sint alieni, in pauperes liberales, Sponsae suae Ecclesiae vera charitate coniuncti, Eiusque externo etiam decori augendo studeant, a luxu saeculi abstinentes, memores: ut quod superfluis procurandis impenderetur, id magna cum utilitate in bonum Ecclesiae conferri posset, nihilque magis decus et honorem dignitatis episcopalis minuere, quam pompae mundanae affectatio, satisque honoris et auctoritatis consequentur, si vitae pie documentis, mundanarum rerum despectu et prudentia cum vero zelo coniuncta reliquis praeant.

2. Quemadmodum autem Episcopus exemplar et normam vitae pro inferioribus esse oportet, non secus eorum Cathedralis ecclesias in exemplum et normam inferiorum positas esse noscant, idcirco primas curas in id impendant, ut Cathedralis ecclesiae ad optimum tam externum, quam internum cultum reducantur; quae reparatione indigent, reparantur, Sacri Apparatus, Vasa Sacra integra, nitida et debito cum decore ad normam Orientalis Ecclesiae parata adsint, Officia divina quotidiana graviter, exacte et ordinate persolvantur, Sacerdotes et reliqui clerici qui divina Officia persolvant, munus praedicationis obeant, et Poenitentarii insufficienti numero servantur; quod ut in effectu obtineri possit, optaret S. Synodus, ut Praelaturae Cathedralis, olim in Ecclesia usurpatae, in ecclesiis Cathedralibus excitarentur, quas Parochi, qui in civitate, aut eius viciniis, in qua ecclesia Cathedralis sita est, Parochias suas habent, gerere debe-

rent; munera videlicet Archipresbyteri, Praefecti chori seu cantoris, Char-
tophilacis seu Cancellarii, Poenitentiarum, Oeconomum et Ecclesiarchae seu
custodum, quod ut ad effectum cum tempore saltem perducatur, curas et
diligentiam, quam poterunt, sedulo adhibeant Episcopi.

3. Sed cum ad excitandas tales Praelaturas Cathedrales sex praeben-
dae erigi deberent, quarum unaquaque duorum ad minimum millium Flo-
renorum polonorum redditum habere posset, ut cum decore et auctoritate
ipsiusque Cathedralis ecclesiae utilitate Officia sua Praelati Cathedrales
gerere valerent, constituat S. Synodus, ut redditus Episcopatum vacantium
et hereditates Clericorum coelibum sine testamento decedentium in erec-
tionem huiusmodi Praebendarum convertantur. Praeterea hortentur Episcopi
ditiores Clericos, immo etiam laicos, ut in huiusmodi fundationes pecunias
conferant, nec difficile consentiant, dum fundatores ius patronatus prae-
sentandi ad huiusmodi Praelaturas personam debitis qualitatibus praedictam
pro sua familia praeservare cupient.

4. (f. 39v.) Ubi ad erectionem trium saltem Praebendarum deventum
fuerit, poterunt Episcopi personas probas, doctas, emeritas et quantum fieri
potest generis nobilitate praestantes ad huiusmodi Praelaturas instituere,
hac servata clausula, ut unusquisque Praelatorum, e duobus millibus sui
annui proventus tercentos Florenos ad manus oeconomum Cathedralis quo-
tannis exsolvat, e quibus ducenti Floreni pro manutentione Vicarii Cathe-
dralis, centum pro domo correctionis Cathedrae erigendae cedere debebunt.

5. Archivia dioecesana partim expensis Episcopi, partim ex contribu-
tione cleri circa ecclesias Cathedrales de muro erigantur, in iisque auten-
tica scriptura et munimenta bona mensae Episcopalis, Capitulum Ca-
thedralium, nec non funda omnia ecclesiarum Parochialium recipientia,
tum Acta Dioecesana omnia sub cura et inspectione Cancellarii Cathedralis,
aut Archivariae, personae e clero selectae, probae, iuris utcumque peritae,
et super fidelitate iuramento obstrictae collocentur, cui si de mandato
Episcopi aliquod documentum ad manus cuipiam extradere contingit,
scribere tenebitur in liberculo ad id specialiter comparato: quo anno, qua
die mensis, et cui de mandato Episcopi extradidit, fidemque in scripto
ab eo, cui extradidit, accepti documentum exigat.

6. Archivia omni biennio ab Episcopo visitentur, et super integritate
documentorum examen scriptum fiat; Parochi ad comportanda et collo-
canda in huiusmodi Archiviis ecclesiarum suarum authentica documenta
compellantur; quod si aliquis eorum malitiose huic mandato obtemperare
renuerit, excommunicatione plectatur.

7. Officia dioecesana gratis ab Episcopis distribuuntur personis probatis, et ad gerenda huiusmodi munera idoneis; quod si quispiam talia officia procurare deprehendatur, multo magis, si munera offerret, eo ipso incapax ad ea consequenda reddatur.

8. Contributiones extraordinariae non imponantur Clero, nec exigantur ab Episcopis, nisi res ab Episcopo ad Metropolitanum deferatur, qui praevio consilio Delegatorum dioecesanorum expensa et agnita vera necessitate facultatem exigendi Episcopo concedat, et quantitatem summae exigendae assignabit.

9. Synodos dioecesanis quilibet Episcopus omni anno celebrabit in mense Maio ad Cathedram episcopalem, et publicata in ecclesia Cathedrali die Synodo inchoandae praestituto, intimatorias literas per Dioecesim transmittat, ad eamque solos Decanos et Delegatos a singulorum Decanatum Paroeciis electos sacerdotes convocabit. Vocati pridie celebrandae Synodi convenientes in Cancellaria Episcopali adventum suum in charta ad id designata inscribant, et qui sunt Decani, Acta sui Decanatus cum actis visitationis decanalis ab anno peractae una cum notula ex metricis singularum sui Decanatus Parrochiarum excerpta eo anno numerum: baptizatorum, matrimonio copulorum, mortuorum, aptorum ad confessionem faciendam, et qui eorum confessionem Paschalem absolvere neglexerunt, continente, in eadem Cancellaria reponant. Die Synodo inchoandae destinata ad Pallatium Episcopalem se conferant omnes, et Episcopo ad Ecclesiam eunti assistant; absoluto per Episcopum Sacrificio Missae, praemissisque in Pontificali expressis caeremoniis, fiat sermo per Episcopum ad congregatos sacerdotes, quo absoluto Officiales Synodales videlicet Revisores Actorum Decanaliū, Iudices Synodales, Notarius, Examinator, Poenitentiarium, Investigator seu Fiscalis, Magistri Caeremoniarum et Bedelli seu Ostiarii (f. 40) deputentur, tum proponantur ab Episcopo, et a Clero materiae ad formandas constitutiones dioecesanās, vel ad antiquas reformandas ex circumstantiis temporum, et locorum oportunas, tempus pomeridianum insumatur in revidendis Actis Decanalibus, iudiciis Synodalibus, tum in privato examine propositarum materialium. Altera die, praemisso ut supra et absoluto per Episcopum aut aliquem e gravioribus sacerdotibus Missae Sacrificio, propositae materiae publice discutientur et statuentur ea quae ad Dei honorem augendum, animarum salutem et rectum Dioecesis regimen promovendum conferre videbuntur, tempus autem pomeridianum distributioni olei sacri et examini Decanorum, tum iudiciis synodalibus peragendis destinetur. Tertia tandem die, praemissis praemittendis devotionibus, constitutiones sancitae

publicabuntur, tum fiet ab Episcopo exhortatio uniuscuiusque muneris sui recte et diligenter adimplendi commonefaciens, qua absoluta finis Synodo cum Sacris caermoniis in Pontificali praescriptis imponetur.

10. Desideria privata, si qui ea attulerint et praesertim Decanatum contra Visitatores, aut Decanos per Delegatos a Decanatibus electos factos recursus privatim Episcopus audiat, omniumque commodo et integritati pro iustitia et equitate, quantum cum Domino poterit, provideat.

11. Caveant Episcopi, ne in condendis constitutionibus Dioecesanis quidpiam statuatur, quod constitutionibus Provincialibus adversaretur, aut earum executionem difficilem redderet; quamobrem unusquisque Episcoporum constitutiones suas Dioecesanam ad Synodum Provinciale adferat, ut in ea revideri possint et examinari, an plane statutis Provincialibus congruant.

12. Si contigerit sub tempus Synodi dioecesanam conferri ad aerarium Episcopi cathedraticum, vigilant et prohibeant Episcopi, ne a Decanis, qui illud conferunt, quidpiam per ministros Episcopales titulo dandae quietationis exigatur. Cum autem crebro contingat querelas Cleri audire contra Decanos, qui in distribuenda in singulos parochos Cathedratici summa ex eorum Decanatibus pendi solita Officio et auctoritate sua pro privato affectu et interesse abutuntur, ut huic malo remedium opponatur eligantur in unoquoque Decanatu a clero eiusdem Decanatus tres presbyteri, qui taxam conferendi ex unoquoque beneficio Cathedratici pro uniuscuiusque beneficii qualitate conficiant, ita tamen ut statuta et ad praesens ex eo Decanatu conferri solita summa, nec ob erectionem novorum aucta, nec ob unionem antiquorum beneficiorum imminuta immutabiliter ad aerarium Episcopi ex eo Decanatu comportetur; excipiantur tamen novae coloniae, ubi erectae et erigendae de novo parochiales Ecclesiae, pro quarum iurisdictione nihil de antiquis Parochiis detractum est, imposito iisdem proportionato solutionis onere summam Cathedratici augere debent.

13. Praeter annuam per Decanos absolvi consuetam ecclesiarum Parochialium visitationem, sedulo curent Episcopi ut Dioeceses suas, sive per se, sive per speciales ad id designatos visitatores omni quadriennio visitent; methodum et ordinem visitationis collato in Synodo Dioecesanam cum clero Dioecesis suae consilio unusquisque Episcopus pro sua Diocesi praescribat, quae tamen methodus sequentes conditiones omnino complectatur. Primo: ut visitationes huiusmodi, quantum fieri poterit, celerrime absolvantur, ne parochis longa protractatione (f. 40v.) gravamen inferant. Secundo: ut causa in visitatione contingenter summario processu expediatur, quod si emergeret causa aliqua, quae longum examen et discussionem

requireret, si fuerit causa iuris, mox ad iudicia ordinaria relegatur, si vero causa facti alicuius enormis, pro cuius veritate una aut altera dies sufficere non potest, deputetur dumtaxat commissio a visitatore, et commissariis designetur adiecto Decreto, ut Rotulus expeditae inquisitionis cum praefixione termini, et praemissis pro eodem termino partium citationibus ad iudicia ordinaria remittatur. Tertio tandem: ut circa procuraciones lex a Synodo Zamosciana praescripta strictissime servetur, et ita quidem, ut visitator ab Episcopo designatus praeter quatuor equos, notarium, famulum et aurigam, plures equos aut famulos secum non ducat; victu et potu domestico non adeo exquisito, nec aliunde cum impensis parochi petito sit contentus. Sed cum equorum, famulorum et curruum propriorum opera visitans, necessario in deterioratione horum omnium, tum in omissione suae rei familiaris damnum patiatur, permittat S. Synodus, ut titulo dimidiatae partim in victu, partim in peculio procurationis parochi ex singulis Decanatibus ab unaquaque parochiali ecclesia duos Florenos visitatori, absoluta visitatione eius Decanatus, per manus Decani exsolvant; quodsi visitator directe, aut indirecte per se, vel per alios quocumque titulo, colore, aut praetextu a parochis aliquid praeter modo dicta exigat, aut exigi curet, excommunicationem maiorem ipso facto incurrat et poenam dupli extorti, cuius medietas iniurato, altera vero ad manus questoris Diocesanii cedere debebit, subire teneatur, nec prius ab excommunicatione absolvi possit, quam poenam supra assignatam adimpleat. Cum vero haec S. Synodus omnes modos adhibere cupiat, quibus visitatores ab omni illicito quaestu et turpis lucri cupiditate arceri possint, comendet sub gravi conscientiae onere Episcopis, ut hi in Synodis Dioecesanis ex clero querere non omittant: an visitator recte, vel secus, ac praesens constitutio indulget se gesserit? Illi vero a quibus Episcopus informari cupiet, veritatem pro conscientia fateri, et Episcopo referre sub reatu lethalis culpae teneantur.

14. Si contigerit Episcopum ex hac vita ad aliam transferri, illico ab Episcopi obitu Archidiaconus, seu auditor, Decanus vicinior et Notarius Curiae Episcopalis in praesentia quinque testium fide dignorum inventarium derelictorum a defuncto Episcopo in duplici exemplari conficiant et simul cum testibus subscribent, tum rebus cum adiuncto uno inventarii exemplari collocatis in tuto aliquo loco tribus seris observato, singulisque clavibus per singulos ad institutionem novi Episcopi servatis, aliud exemplar ad Acta proxime Publica per oblatam tradent.

15. Sedis vacantis Episcopalis Administrator scriptum coram Metropolitanis, aut ab alio delegato in praesentia novi Episcopi de perceptis stante sua administratione redditibus calculum reddere debebit, quorum reddituum

tres partes in erectionem praelaturarum Cathedralium, aut erectarum augmentum designentur, quarta vero dividatur in administratorem et novum Episcopum. Quodsi solus Metropolitanus per se ipsum vacantem Episcopatum administraverit et apud se perceptos fructus retinuerit, rationem de perceptis in Synodo Provinciali ad instantiam cleri eiusdem Dioecesis reddere teneatur.

ARTICULUS OCTAVUS

(f. 41.) *De reformatione Cleri, Scholis slavonicis, Seminariis et Domibus Correctionum.*

1. Cupiens ex animo S. Synodus amovere omne dedecus a clero saeculari in quem paucis retro annis nonnullae familiae plebeae libertate a servitute obtenta praepotentia collatorum intrusae sunt, unde non modo Status Ecclesiasticus in vilipendium adduci coepit, verum etiam funda Ecclesiarum inter rusticos huiusmodi parochorum cognatos distracta, et cum fundis rusticorum commixta millenis quaestionibus cum insigni Ecclesiae damno occasionem praebuerunt, ac tandem familiis nobilibus et antiquis sacerdotalibus ad consequenda beneficia via praeclusa fuit, quocirca comendet sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae omnibus et singulis locorum Ordinariis S. Synodus, ne deinceps ullum plebeum libertate a suo hero donatum, aut talis liberti filium, tum etiam etsi libera conditione in urbibus regalibus natos sutorum, sartorum, laniorum et fabrorum liberos ad Ordines Sacros admittant et promoveant. Quodsi contigerit aliquem ex huiusmodi personis, aut etiam ex plebea conditione libertate officiose, prout iure praescriptum est, donatum, optimis moribus praeditum, doctrina et prudentia adeo conspicuum, ut ex promotione Episcopis insignis Ecclesiae utilitas sperari possit, ad Sacros Ordines adspirare, eum Episcopus non aliter admittat, nisi prius in coelebatu Ordines Sacros acceptare consenserit et scripto firmaverit promissum se nunquam in loco originis suae beneficia procuraturum, aut sponte etiam a iuris patronis oblata acceptaturum.

2. Cum a iure graecorum ecclesiastico nullibi excludantur filii presbyterorum ex legitimo matrimonio suscepti a successione in beneficia suorum parentum, et aliunde spe successionis filiorum adducti parentes, non modo integritati beneficiorum, verum etiam eorum augmento studere maiori conatu non intermittent, curent itaque, quantum poterunt Episcopi, in beneficiis parentum illos filios manutenere, eosque iuris patronis comendent,

qui doctrina et virtute idoneos se ad statum ecclesiasticum reddere satagerunt.

3. Non negligent sacerdotes filios suos a prima pueritia, saltem a quinto completo aetatis anno in literis, lingua slavonica, cantu et obsequio Ecclesiae educare, et contravenientes praesenti constitutioni poena quindecim Marcarum a Decano sub tempus visitationis extendenda plectantur, quarum medietas ad cassam dioecesanam remittatur, altera autem medietas in emolumentum scholae in eodem Decanatu insignioris, aut educationem orphanorum in eadem schola impendatur; ad quem finem scholae slavonicae circa Cathedrales, Regulares, et principaliores in urbibus et oppidis sitas parochiales ecclesias intra annum a data publicationis Decretorum praesentis Synodi erigantur; ut vero alacrius Didascali seu Magistri scholarum, quos clericalem vestem deferre optaret S. Synodus, operam suam in docendis pueris impendant, declaret S. Synodus, ut si exemplarem vitam duxerint, super caeteros ad vacantia beneficia iuris Patronis comendantur ab Episcopis et promoveantur. Scholae cum scitu Decanorum loci praeficiantur, nec easdem in scio Decano deserere audeant, quod si clam a scholis recesserint, aut male se gesserint, arbitrio Decanorum puniantur.

4. (f. 41v.) Utilissima et permaxime necessaria ad reformationem cleri Seminariorum institutio a longo tempore in Ruthena Ecclesia exoptata primas huius Sacrae Synodi curas occupare deberet, praesertim cum in aliquibus locis erecta iam sint, in aliis summae pecuniariae in aliqua quantitate collectae proximam spem huius salutaris operis ad effectum perduendi faciant. Cum autem in praesentibus consultationibus Antesyndodalibus longo praemisso examine super huiusmodi de novo fundatis, aut augendis Seminariis nihil generale constitui potuerit eo quod diversae sint diversarum Dioecesium circumstantiae, nec ex una aliqua stabilita regula una via in singulis ad erectionem Seminariorum procedi possit, quocirca delegati Dioecesium haec proiective decreta formantes communi sententia necessarium esse existimarunt, ut Episcopi ante imminentem Synodum vocatis ad se gravioribus et prudentioribus e clero suarum respective Dioecesium viris maturo consilio forment modum, quo uti possent pro circumstantiis Dioecesis ad erigenda de novo, aut augenda Seminaria et eum modum in scriptum redactum ad imminentem Synodum adferant.

5. Admnicula porro quibus adhibitis Seminaria de novo erigi, aut augeri possent, censent delegati Episcopales esse sequentia: *primo*, reddituum Monasteriorum a monachis derelictorum, quae curae animarum non sunt obstricta. *Secundo*, iura Institutionum circa translationes sacerdotum ex uno ad aliud beneficium in aliquibus Dioecesibus usurpata. *Tertio*, constitutio-

nes beneficiis imponendae, ex quibus per aliquot annos in unum collectis summa pro commodo Seminarii collegi posset. *Quarto*, reservatio modica de Cathedralico Episcopis ditioribus ab eorum Dioecesibus pendi solito, quod sane sine gravi incommodo tam cleri, quam Episcopi fieri posset; ponitur in exemplum Episcopatus, qui duodecim millia cathedralici percipit: in quo Episcopatu si presbyteri pro ratione uniuscuiusque Floreni quem pendunt Episcopo, semisextarium adiicerent, et Episcopus semisextarium de suo cathedralico pariter pro ratione unius Floreni demere pateretur, omni anno pro Seminario summa duodecim millium sextariorum, seu quatuor millium tynfonum colligeretur. *Quinto* tandem, pro Episcopatu, qui et modicos redditus possidet, et exiguae Dioecesi praest Pinscensi, recurrendum erit ad Sanctam Sedem, ut haec modicas pensiones super ditioribus Abbatiis in universum ad summam octingentorum Florenorum ascendentes assignare velit, quae annua pensio sex seminaristis pro exigua Pinscensi Dioecesi necessariis sufficere poterit.

6. Antequam autem ad formalem Seminariorum erectionem deveniatur, non omittant Episcopi intra annum a publicatione praesentis Synodi Seminararia seu Mansiones commodas circa Cathedrales ecclesias extruere, in quibus candidati ad sacros Ordines saltem per annum in pietate educuntur, et in scientia Ordini Sacerdotali necessaria, nec non Sacris Ritibus instruantur, magistri duo ipsis provideantur, unus, qui eos Theologiam Moralem et modum catechizandi doceat certis statutis matutinis, et pomeridianis horis, alter, qui eos in lingua slavonica, cantu ecclesiastico, ordine divinatorum Officiorum, ritibus in liturgia et administratione Sacramentorum adhiberi solitis informet; omni die Domenica et festo confiteantur et S. Synaxim sumant; domum propriam accedendi ibidemque per duas hebdomadas commorandi facultas iisdem quater in anno concedatur, redeuntes domo exercitia spiritualia absolvant, Officiis divinis Ecclesiasticis omni die in choro cum modestia et animo devoto assistant. Medio anno transacto, si idonei (f. 42.) reperti fuerint, vestem clericalem assumant, et ad diaconatum promoveantur, tum quadrante anni in executione Ordinis Diaconatus et dispositione sui ad presbyteratum inque ulteriori doctrinae et pietatis exercitio commorentur, quo terminato si ad Presbyteratum suscipiendum satis instructos se reddiderint, ad Ordinem Presbyteratus provehantur, quo suscepto et primo Sacrificio Missae, ubi voluerint, absoluto ad Seminarium redeant, ubi reliquum anni in exercitio Ordinis Sacerdotaliis complere teneantur.

7, 8, 9, - (*desunt in manuscripto Vaticano*)

10. Vigilent Decani, ut clerici et parochi in eorum respective Decana-

tibus commorantes vestitum, etsi pauperem comptum tamen, non lacerum, eumque ad talos demissum ferant, cingulo praecincto incedant, nec annulis in Sacrificio Missae utantur, nisi ii quibus de privilegio competere poterit.

11. Clerici ebrietati dediti et praesertim tabernarum frequentatores primo puniantur mulcta pecuniaria, secundo recollectionibus et abstinentia per quatuor hebdomadas, tertio tandem delinquentes privatione Beneficii; quod si postea nullum emendationis specimen dare voluerint, suspendantur ab executione Ordinum, donec plane resipuerint et emendationis indubia exempla praetulerint.

12. Plurimum ad reformationem Cleri conferret, si unusquisque e viciniis Inspectorem haberet, cuius reverentia pronos ad vitia in officio continere posset: optaret itaque S. Synodus, si Episcopi Decanatibus ad solum quindecim, vel ad maximum viginti Parochorum numerum redactis, ita Dioeceses suas partiri vellent, ut singulis octoginta, aut ad maximum centum Parochiis Vicarius Foraneus cum potestate iudicandi et inculpatus iuxta praescriptum Sacrorum Canonum, salva ad Curiam Episcopi apellatione, puniendi, praesesset, tunc enim et recursus faciliores iniuratis redderentur, et Decani multitudine negotiorum minus obruti exactius in proximitate ecclesiarum sibi subiectarum muneri suo vacarent et eorum diligentiae, quod praecipuum est, excitandae vicinitas Vicarii Foranei non parum momenti et stimuli afferret.

13. Antequam deventum fuerit ad media conquirenda pro maintenance domorum correctionis, tractandum erit Episcopis cum Protoarchimandrita Ordinis Basiliani, ut delinquentes clericos pro agenda poenitentia ad monasteria remittere possint, in quibus oratione, maceratione carnis, nec non delictorum suorum coram Deo retractatione culpas expient, et ab usu potus inebriantis nec non conversatione saeculi remoti, facilius in viam salutis reducantur; quodsi quispiam expleta aliquoties poenitentia ad vomitum redire praesumpserit et multo magis, si crimen aliquod enorme publicum commiserit, neque ulla in eo emendationis spes praefulgeret, descendat Episcopus ad movendum eum gradu suo clericali, imo et veste clericali exutum, ablatis omnibus status clericalis privilegiis, detonso capite e caetu clericorum expellant, ut poena unius reliqui ad crimina proclives arceantur.

14. Cum reformationi cleri insignem obicem ponat defectus personarum cooptandarum in clerum, qui non ab Episcopo, sed a collatoribus designatur, dum passim laici pro arbitrio eorum ad beneficia vacantia praesentantur, quo circa Episcopi huic malo saltem cum tempore evitando consulant, et expenso statu parochiarum suarum respective Dioecesium,

ubi millenum numerum parochiani ad Confessionem Sacramentalem apti excederent, in iis Parochiis onus tenendi Vicarii parochis, (f. 42v.) tum etiam Vicariis Foraneis de Beneficiis provisus, et Decanis, qui penes suum munus non possent exacte Officiis parochi satisfacere et aliunde pro alendo Vicario sumptum facere valerent, imponant, ex quibus iam actu presbyteri iuris Patroni ad beneficia vacantia, qui sibi visi fuerint, praesentarent; hac enim ratione et personas, quibus Ordines Sacri titulo Vicariatus conferrentur, ipsi Episcopi ad clerum eligerent, et sacerdotes iuniores sub inspectione seniorum, quorum Vicariatus gerent, vitae piae, exemplari, tum rectae Sacramentorum administrationi assuescent, priusque probati evadant, quam cum munere pastoralis parochialibus Ecclesiis praeficiantur; nec attendi debet Beneficiorum paupertas, cum innumeris Parochiis proventus uberiores procul dubio habeantur, idque extra omnem controversiam sit: unum parochum mille animabus curandi undequaque sufficere non posse.

ARTICULUS NONUS

(f. 42v.) *De Parochis, Paroeciis, Jejuniis et Festis.*

1. Frequens Beneficiorum Ecclesiasticorum paupertas manifesta causa est defectus idonearum ad munera parochialia personarum, cum viri bona educatione, a qua et probitas et morum concinnitas atque honestas derivatur, praediti, atque doctrina praestantes aegre se resolvant ad pauperem statum amplectendum, ut itaque Beneficiorum inopiae consulere possit S. Synodus, comendet Episcopis, ut hi minus necessarium Parochiarum numerum, praesertim ubi plures in uno pago, oppido aut urbe ecclesiae Parochiales reperiuntur, unire curent, requisito tamen ad eum finem Collatorum consensu.

2. Erectio novarum Ecclesiarum Parochiarum non fiat nisi dos competens pro expensis ecclesiae, parochi, cantore et sacrista a iuris Patronis assignetur. Super congruae vero dotis quantitate Episcopi in imminente Synodo conferant eamque instituant, infra quam novas erectiones non admittant; congrua autem taxetur iuxta praetium annuum conductionis fundorum pro more uniuscuiusque regionis taxari solitum, demandaturque impensae pro excolenda huiusmodi agri portione, ut fructum adferre possit, necessariae; praeterea scripto foundationis caveatur immunitas, et omnis ab onere laicali fundorum libertas, ita ut quisque

sibi absque iniuria alterius proventum adinveniret parochus, nihil de eodem Domino eius oppidi, aut pagi pendere cogetur, excepto iure propinationis, quod Dominis integrum manere debet, ita tamen ut parochus pro usu suo et domestica necessitate, potum sibi, unde voluerit comparare possit, sine ulla tamen fraude, aut propinationis publicae detrimento sub gravibus in parochos assignandis et extendendis poenis, si publicae abuti deprehensi fuerint. Molendinorum etiam et incisionis in sylva pro commodo parochi libertatem praecustodire Episcopi non negligant, dum ad erigendas novas Parochias illis devenire continget.

3. Cum vero crebro a nonnullis collatoribus lites moveantur, funda ecclesiarum olim erectarum a parochis possessa usurpantibus, pro quibus antiquae scripto consignatae foundationes iniuria temporum deperierunt, proinde caveant Episcopi quempiam ad tales vacantes ecclesias instituere, priusquam Iuribus Patroni Bonorum heredes erectiones deperditas novis scriptis approbaverint, constituto pro interim vacantis Parochiae administratore, qui spiritualium et temporalium curam gerere queat.

4. Circa promovendos ad Beneficia Iuris Patronatus Ecclesiastici servetur strictissime (f. 43.) constitutio Benedicti XIV, nec aliter, nisi per concursum habiliores agniti, et servata exacte praelaudata constitutione a Iuris Patronis Ecclesiasticis praesentati admittantur et instituantur.

5. Comendet S. Synodus omnibus parochis, ut semel in anno commissa sacerdoti idoneo suae Paroeciae cura ad monasteria proxime se conferant, ibidemque a tumultu saeculi remoti exercitia spiritualia per aliquot dies absolvant.

6. Episcopi non admittant resignationes Beneficiorum, nisi ex gravissimis causis per Episcopum examinandis; ille vero, cui ex talibus causis veris repertis resignatio concedi possit, Episcopum praevis de modo honesto pro statu sacerdotali vivendi docere teneatur; qui modus eidem facta resignatione in locum provisionis canonicae per scriptum ab Episcopo assignetur, adiectis clausulis et mandatis, ut quotannis coram propinquiori examinatore ad subeundum examen se sistat, nec eam provisionem scripto sibi assignatam sine consensu Episcopi deserere, et deficiente canonico titulo vagari audeat, sub poena suspensionis ipso facto incurrenda et captivationis per Decanos exequenda.

7. Cum constitutio Synodi Zamoscianae super examinandis omni anno quatuor vicibus parochis difficile ad effectum perducere possit, Episcopi in synodis Dioecesanis provideant, quatenus examinatores pro statu et circumstantiis Dioecesium ab iis deputati et ad obeundum hoc munus idonei

— praevio super fidelitate in adimplendo suo officio servanda iuramento, semel saltem in anno omnes parochos et alios quoscumque saeculares sacerdotes examinent, et acta obsigillata sui examinis cum iudicio super uniuscuiusque sacerdotis competenti scientia ad Episcopum pro Synodo Dioecesana per manus Decanorum aut delegatorum transmittant.

8. Quamquam illo attento quod pauperiores ad statum sacerdotalem candidati ex eo, quod solvendis pro reparatione Beneficiorum expensis impares sunt, a curandis beneficiis non absque damno Ecclesiae terreantur, nonnullarum Dioecesum lex eiusmodi solutiones prohibens iusta esse omnino videtur, verum parte ex altera eo perpenseo, quod parochi nostri ut plurimum de sua industria aut patrimonio aedes parochiales cum damno suorum naturalium successorum post se orphanorum derelinquendorum extrui curent, quod ut vident, hac lege stante, eas reparare, aut prorsus negligunt, aut in fundo non Ecclesiastico aedificant et ea ratione fundis Ecclesiae praeiudicia inferunt, aedesque parochiales sensim fatiscere et callabi sinunt. Futura S. Synodis utrique incommodo obviando ita decernat, ut si post obitum parochi uxor aut liberi relictii fuerint, reparationes aedium notabili propria defuncti impensa factae praevis per Commissarios ab Episcopo designatos taxatae medium liberis aut viduae derelictae solvantur; si vero ex hac vita decedens parochus non relinquat uxorem aut liberos, talis reparatio nihilominus, ut supra taxetur, exclusive aliis quibusvis successoribus medietas in suffragium animae defuncti parochi cedat, utque ab hinc nullus parochorum neglecta domus parochialis reparatione et conservatione audeat in fundo non ecclesiastico aedes suas extruere severe sub poena 50 Marcarum prohibeat.

9. (f. 43v.) Adeo pia Mater Ecclesia miseratur pauperum ut eorum inopiam suam credat, viduarumque et orphanorum causas Episcopali curae specialius comittat; quare futura S. Synodus pietatis opus esse censebit, quatenus viduis post defunctos parochos derelictis pro antiquo more et consuetudine liceat per annum ex fructibus Parochiae saltem de fundo provenientius participare, et in aede parochiali permanere, ita tamen, ut se honeste gerant, constitutum Paroeciae administratorem in honore habeant, et medietatem cathedratici exolvant, nec res deteriores, aut ullo modo vel praetextu alienent.

10. Jejunium Quadragesimae modo adusque in Russia usitato strictissime ab omnibus fidelibus servetur, tum etiam reliqua tria festa: SS. Apostolorum Petri et Pauli, Dormitionem Deiparae et Nativitatem Dominicam praecedentia, circa quae tria postrema jejunia, cum et olim, et ad praesens testibus Gregorio Protosyncello, Balsamone et Goario apud Graecos di-

versa consuetudo vigeat, ita ut complures Graecorum ritus profitentes, eadem singula ad septiduum innocue reducere soleant, proinde infirmitati humanae consulendo, tribuant Episcopi Decanis facultatem, ut attentam valetudinem, aut aliis iustis de causis super iisdem tribus jejuniis cum petentibus dispensationem, vel in parte jejuniis, reducendo illud ad septiduum vel in toto, gratis nulloque etiam sponte oblato dono accepto, dispensare possint.

11. Moneant frequenter parochi Christi fideles, ut dum diebus festivis, et Dominicis causa nundinarum, aut mercatum ad proxima oppida se de mane conferunt, in eorundem oppidorum ecclesiis Missam audiant, iisque hanc obligationem sub interminatione Divini Iudicii graviter inculcent.

12. Parochi non habentes Vicarios diebus Dominicis et Festis a propria Ecclesia non recedant, donec devotiones Ecclesiasticas statis horis peragant, et liturgiam consueto tempore absolvant, sub poena 10 Marcarum, duorum scilicet imperialium toties, quoties transgressi hanc legem fuerint.

13. Comittant parochorum prudentiae Episcopi ut cum suis parochianis praesertim miserabilibus personis dispensare possint, quatenus audito imprimis Sacrificio Missae tempore messis, et faenificiis fruges demessas, et faenum defalcatum diebus festis colligere et convehere valeant.

14. Festorum servandorum a Synodo Zamosciana confectum Catalogum laudet et servari praecipiat S. Synodus hoc adiecto, ut dies tertia Pentecostes inviolabiliter per omnes Dioeceses servetur, statuaturque, ut festum S. Andreae Apostoli, primi Russiae illuminatoris, eidem Catalogo adii-ciatur.

15. Memoria DD. Olgaе et Vladimiri, in sacro Baptismate nuncupati Basilii, Russiae Principum, qui ultimam ad conversionem gentis nostrae ad fidem Christianorum manum apposuit, nec non S. Ignatii Patriarchae Constantinopolitani, qui primus Photiano schismati se opposuit, et pro unitate Ecclesiae gravibus laboribus et aerumnis exantlatis illustris Confessor obiit, in omnibus Horologiis et Meneologiis Ruthenorum restituatur.

16. Festum beati martyris Josaphat ut causa maioris solemnitatis in Dominicam decimam sextam Septembris diem subsequentem transferri possit, recurrat supplex S. Synodus ad Sedem Apostolicam.

17. (f. 44.) Ne exemplum acerbae mortis, quam V. Emilianus Klimontovicz, presbyter saecularis, nostris temporibus pro Unione cum S. Romana Ecclesia subiit ex hominum memoria dispareat, providebit S. Synodus,

utque hac in causa necessariae diligentiae adhibeantur, consulet et commendabit.

DIOECESIS POLOCENSIS

R. D. Clementi Kulikowski suo Ablegato committit sequentium promotionem in Consultationibus Antesyndalibus Vladimiriæ celebratis.²

1. (f. 64) *Liturgiae*, iuxta Benedicti PP. XIV. Euchologium, ubique celebrentur, quin celebrans ad populum se convertat extra proportionem verborum, quibus conversio talis significari ex praescripto debet. Praecavendum nihilominus, ut eiusmodi celebratio ab universis saecularibus et regularibus presbyteris uno eodemque anni festo exequatur, ne antiquitatis renovatio simplicioribus scandali speciem praebeat.

Capsulae Ecclesiasticae ad formam reducantur antiquiorem; hodiernae enim nihil gravitatis, honestatis nihil praeseferunt, et plures ad risum comovent.

Diebus festis et Dominicis Liturgiae in omni ecclesia parochiali decantentur sub poenis criminalibus Seminario applicandis. Eiusmodi quippe Missarum praecipue in Lithuania omissione, schismatici plurimum Unionem refugiunt, et Unitorum in Sacris Ritibus exercitatio deficit.

Cantor pluribus in ecclesiis deest, pro cuius restitutione admoneantur parochi. Ubi vero nulla habeatur pro cantore fundatio, recurrendum erit ad ecclesiarum Patronos, quorum non impetrata iustitia, conveniet duas in unam unire ecclesiam, ut ex utriusque fructibus manuteneri possit cantor; non enim tolerari potest, ut ecclesia careat illo, qui universali christianitatis more divinam psalmodiam adjuvet, et iuvenes Ruthenorum in lectura, cantu et christiana doctrina exercent.

Vigiliae nocturnae maximo scandalo sunt intermissae, quibus restituendis adiciatur mandatum, ne absque sufficienti lumine peragantur.

Seligatur aut conficiatur liberculus, vel saltem intermissa Synaxaria ad usum revocentur, quorum capitula ad festi diem relativa populo post Missam perlegantur, consuetis tamen precibus praemissis; ante Vesperas autem, Catechismus explicetur. Ut autem Divinis Officiis, doctrinaeque christianae frequentius parochiani intersint, utilissimum erit, si deputentur cen-

² ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, ff. 64-68 v.

sores, qui absentium nomina parochi referant, ad effectum puniendi refractarios primum ecclesiastice.

Hoc loco insistendum erit, ut quisque parochus per se, per Vicarium, perque cantorem suum, saepius Catechismum doceat etiam extra ecclesiam, adeundo parochianos ab ecclesia remotiores, (f. 64 v.) praemissa tamen sui adventus significatione, nec gravetur ad id muneris expetere auxilia sive alumnorum, sive regularium, maxime ritus nostri.

2. *Jejunia* ecclesiastica omnia exacte servantur, danda tamen Decanis quoad parochos, et parochis quoad parochianos annuali facultate rationabiliter dispensandi, et commutandi in alia opera pia.

3. *Parochi* sint ex parentibus liberis, honestis, et potissimum filii presbyterorum, nobilium saecularium, et civitatum dumtaxat regaliū; ex subditis autem non assumantur, nisi libertatem iuridice consecutam producant, nec Beneficia in locis obtinent, in quibus nati sint, aut ubi illorum parentes et consanguinei vivant.

Sacerdotio adscribi cupiens proprio coram Episcopo compareat, et hic commissariis quolibet in Decanatu eligendis committat, ut in domiciliis et nativitatis loco, super promovendi natalibus, baptismo, vita praesenti, et anteacta, superque statu, impedimentis canonicis et libertate, processum ex iuratoriis depositionibus conficiat, confectumque Episcopo remittat.

Praedicto modo inquisitos tradat Episcopus synodaliter eligendis examinadoribus, et hi digniorem testantur, qui literis Episcopi declarari possit pro capaci ad obtinenda Beneficia.

Cum autem, servatis praemissis, obtinuerit Patroni praesentationem, in divinis litteris et sacris caremoniis instruatur ubi iusserit Episcopus, et modus suppeditaverit; deinde clericali sumpta veste, et examine coram Synodalibus examinadoribus facto, ad sacros promoveantur Ordines, servatis omnino tum interstitiis per Synodum Zamoscianam moderatis, tum quatuor jejuniorum nostrorum temporibus.

Susceptos SS. Ordines quisque exerceat in loco per pastorem assignando, nec prius ad Beneficium se conferat, quousque facilitatem exactae liturgisationis in ecclesia Cathedrali non adquisiverit, unde habito testimonio hac in re opportuno, instituat et dimittatur.

Pinguiores parochi cogantur, ut conservent Vicarios; ubi autem sit ecclesia tenuioris dotis, alteri uniatur, ut ex utriusque fructibus habeat parochus unde ipse vivat, undeque Vicarium sustentet.

Obventiones parochiales ecclesiastica moderentur auctoritate; durum enim est easdem a laicis arctari, et taxari, non volentibus ferre parochorum extorsiones.

Viduis parochorum uxoribus et filiis, Decani iudicio solvantur expensae pro reparationibus in domo et fundis plebanalibus (f. 65.) ultra necessitatem praestitis factae, vel in compensationem eiusmodi expensarum, succurendoque miserabilium necessitati, statuatur, ut Beneficii fructibus gaudeant tam diu, et illo modo quo successores sanguinis participant de fructibus ecclesiarum apud Latinos, post obitum Beneficiatorum sanguine sibi iunctorum. Qua de re consulendus Piascecius in praxi. Praecavendum tamen erit, ne aut administratori congrua desit pensio, aut successori ruina paretur.

Ebrietatem parochorum non video aliter frenari posse, nisi decernatur primo in rem Seminarii mulctari, secundo corporaliter puniri, tertio demum a Beneficio amoveri.

Non prius instituantur parochi, quousque non praestiterint iuramentum se obtinuisse Beneficia sine ulla Simoniaca labe.

Parochialium erectiones, sub poena declaranda, non suscipiantur quae honestae parochi, Vicarii et cantoris sustentationi, tum quoque decori et reparationi ecclesiae et domus plebanalis, sufficere non possent.

Nemo unquam audeat primum lapidem ponere ecclesiae parochiali, aut Capellae, absque proprii Episcopi licentia et benedictione in rituali ad id praescripta.

Posset indulgeri parochis, ut super observantia jejuniorum a propriis Decanis dispensari valeant, utque ipsi dispensent cum suis parochianis, causa tamen cognita, nec frequenter.

Administrationes Ecclesiarum vacantium nemo obtineat ultra semestre, quo exspirato, et patronis in easdem non praesentantibus, poterit ad aliud semestre de licentia Ordinarii continuare.

Singulis annis proprio Decano exhibeant numerum natorum, mortuorum, conversorum, apostatarum, latinizatorum parochianorum, tum denique Regularium, Iudaeorum, Schismaticorum, ac Latinorum.

Regulares parochi non sint vagi, sed determinati, nec inscio Ordinario constituentur, aut amoveantur; Synodis et Decanalibus Congressibus intersint, olea sacra a propriis Decanis suscipiant; ab iis denique visitentur; processus suscipiant, et via cursoria viciniore parocho mittant; cathedraticum solvant, omniaque Dioecesis onera portent, ab iisque nullatenus eximantur, ad quae caeteri parochi tenentur.

Omnes uniforme deportent vestitum, nedum quoad colorem, sed etiam quoad formam, sub poenis Marcarum Seminario applicandarum. Proinde uniformis praescribatur regula, et huius executio temporibus maxime SS. Ordinum, Synodorum, et recursuum observetur.

(f. 65 v.) Externam modestiam cum gravitate omnes discant ex monitis

privatim conficiendis. Hac enim ratione clerum expuliri, et magis commendari posse, nemo est qui ignoret. Inde etiam perutile fieret, si quisque ordinandus civilitatem, qua careret, apud civiliores sacerdotes querere iuberetur.

Non dividantur parochiales absque causis in iure expressis, et sine legitima sententia.

Plurimum interest bono Dioecesis ordini, ut omnibus parochis demandetur, quatenus intra annum habeant sigillum suae Ecclesiae cum inscriptione eiusdem, quo parochus utatur in parochialibus testimoniis et literis missivis, tum quoque in commissionibus expediendis.

Convivia nuptialia in sacerdotum domibus non amplius tolerantur, quae tamen inter solos sponsae sponsique parentes fieri potuerunt, absque ullo strepitu et potatione. Sic enim et modestiae clericali et domesticae parochorum oeconomiae consulatur.

Parochialibus Ecclesiis non praeficiantur pastores donec eximantur ab oneribus Reipublicae, aut Haeredum, ubi autem iam sunt praefecti, nuntient Episcopo de tali onere, et hic ad haeredem, aut ad Capitaneum facto semel et bis recursu, nec effectu consecuto, parochum amoveat, et ecclesiam interdicat.

Nullus in sua Paroecia permittat christianis utriusque sexus, ut in iudeorum domibus deserviant; quod ne contra parochos Dominorum malevolentiam concitare possit, inhibeatur processu Episcopali iuxta tenorem literarum a Benedicto PP. XIV. hac in re editarum.

Schismaticos ad veram fidem redeuntes persuadeant, ut in ritu graeco-catholico vivant, apostatas autem ad similiter vivendum cogant. Unitos cum schismaticis copulari non permittant, absque proprii Episcopi facultate, qua semper imponatur onus educandi prolem in S. Unione.

Vicarii, qui bene parochis deserviverint, prae caeteris obtineant Beneficia curata, habeantque suorum servitorum testimonia ab suis parochis, nec alias institui possint; spe enim boni testimonii rectius iisdem deservient.

4. *Decani* per concursum eligantur in Synodis ex prudentioribus magisque idoneis parochis vacantem Decanatum incolentibus.

Praestent in actis iuramentum super fidelitate erga pastores et super vitandis extorsionibus; proinde publicetur ipsis taxa synodalis, quantum salarii a quo actu exigere possint.

Habeant ex vicinioribus parochis notarium, et acta suo (f. 66.) officio competentia, quae in Synodis producere teneantur, et successoribus Decani cum sigillo decanali relinquunt.

Omni mense pastori nuntient, quae in Decanatibus bona, aut mala acciderint, confidenterque insunent, quae in utilitatem Cleri, augmentumque S. Unionis magis expedire iudicaverint.

Tabellam parochorum, vicariorum, monasteriorum, ecclesiarum latinarum, synagogarum iudaicarum, et templorum a schismaticis rectorum, tum quoque uniuscuiusque ecclesiae parochialis numerum mortuorum, natorum, vivorum partim ad Sacramentalem participationem idoneorum, partim non adhuc idoneorum, denique latinorum, latinizatorum, schismaticorum et iudaeorum, singulis annis quisque ex suo Decanatu Episcopo porrigat, iuxta normam omnibus conformiter ab Episcopo tradendam. Hac etiam occasione Episcopus rite scire poterit, fundos ecclesiarum parochialium existentes avulsosque.

Instigatorem quisque in suo Decanatu habeat, cuius erit munus significandi Instigatori Generali, de omnibus absurdis clericorum et laicorum, et exequendi ea omnia, quae ab ipso habuerit in commissis.

5. *Seminaria* singulis in Dioecesibus erigantur, sintque sub directione Clericorum saecularium et iurisdictione Episcoporum; ubi ditiores proprio sumptu, pauperiores autem Seminarii dispendiis alantur, nec 17 annorum minores suscipiantur, iuramento tamen se obstringant de vivendo in statu saeculari ecclesiastico, sub obedientia proprii pastoris, et si ad regulares cum dispensatione Apostolica convolaverint, omnes impensas refundant Seminario.

Pro eiusmodi Seminariorum erectione, aut erectorum augmento, convertantur omnes proventus, quos Episcopi percipiunt ex institutionibus; applicantur omnes poenae criminales et demortuorum Episcoporum et clericorum spolia, iuxta superius dicta. Denique cleri contributio et parochianorum succursus expectatur, inito cum heredibus, respectu subditorum, consilio.

Et quia perspecta Ruthenorum paupertate nequeant sperari Seminaria, in quibus ali possint tot clerici, quot sunt necessarii ad operandum in vastissima Christi Vineae, supplicandum S. Sedi Apostolicae, ut benigniter concedat in Pontificiis Collegiis clericos saeculares erudiri, loco monachorum, qui pinguioribus gaudeant foundationibus, et florentissima domi habeant studia, nec a tempore suae ab Episcopo exemptionis parochos miserabiles in cura animarum iuvant.

Hoc loco quaerendum erit, quo iure Minscense Seminarium pro omnibus aequae Russiae Dioecesibus opulenter institutum, sit a monachis sublatum, pro cuius restitutione fortiter instandum. Lege de hac re Synodum Cobriniensem apud Kulczynscium, et consule Episcopum Turoviensem.

(f./66v.) Typographia Dioecesana in defectu aptiori medii primordialibus Seminarii pecuniis facile erigenda, non paucos eidem adferre poterit fructus, dummodo recte administretur.

Ad gubernium et ad cathedras Seminarii assumantur aptiores ex alumnis Pontificiis, postea vero ex seminaristis propriis, assignata cuidam congrua pensione, cuius spe alacrius exercentur, et exercent in scientiis.

6. *Capitula* nobilissimam partem constituent, quae apud Ruthenos antiquius florebant, quibusque sublatis, ipsa nunc Hierarchia plurimum labefacta conspicitur.

Ad resuscitanda Capitula modus esset non difficilis, si opus imponeretur, ut Episcopus quilibet, sua vita durante, unum, et Dioecesis quolibet eorundem pontificatu alterum Canonicatum erigere teneatur, relicta praeterea cuilibet clerico et laico facultate similes erigendi canonicatus pro se suisque consanguineis.

Hinc cum monachis tractandum erit, ut Cathedrales per iniurias temporum occupatas clero saeculari aut sponte aut coacte restituant, fiatque hac super re ad Regiam Maiestatem, et ad S. Sedem recursus, cum expositione, quod scilicet, defectu Capitulorum, et Dioeceses vacantes eorumque bona, ipsaque defunctorum Episcoporum spolia plurimum patiantur, et plena sede desint, quibus ad publicas privatasque functiones, tum quoque ad negotia pertractanda iuventur Episcopi, praesertim a tempore, quo monachi ab Episcoporum iurisdictione sunt exempti. Addi etiam potest non leviter, omnia iura Cathedralem ecclesiam respicientia enuntiare quidem Capitula, cuius nunc defectione infinitis quaestionibus illa quaerantur.

Antequam vero ad erectionem sive resuscitationem deveniat, curandum efficacissime, ut in qualibet Dioecesi saltem iuxta Synodum Zamosciensem absque mora deputentur tres Clerici, qui post obitum sui Episcopi spoliolum conficiant inventaria.

7. *Episcopi* pro possibili visitent personaliter ecclesias parochiales saeculares et regulares quolibet anno, pendeantque ab arbitrio cleri, utrum ad eiusmodi visitationes obeundas propriis vel potius parochorum equis se conferre debeant, nec alia itinerandi ratio constituatur, nisi quae parochis minus dispendiosa iudicaretur.

Proventus ex Institutionibus percipi solitos cedant Seminariorum erectioni, aut erectorum augmento.

Spolia demortuorum Praedecessorum saltem per tertiam partem convertant in Seminaria, reliquis vero ita utantur, ut aucta successoribus relinquant.

Ministros Curiae, et Dioecesis convenienti distinctorio ordinandos habeant omnes e Clero saeculari. ita ut ex Regularibus non nisi unicum Theologum penes se retinere possint.

(f. 67.) Calices stanneos per solemnem Processum inhibeat.

Vivant pragmatica sanctione ne unus alterum pompa superet.

Tribunalia aperiantur statis anni temporibus, pro commodiori causarum propositione.

Iuvenes Ruthenos Nobiles ad suas aulas teneant, inferioris autem conditionis iuventutem, inferioribus servitiis artibusque applicent, hoc unico prae oculis habito, ut Ruthenos saeculares iuvent et promoveant.

Reservatos casus in Synodis dioecesanis publicent, unito cum parochis consilio, super scelerum frequentia.

Vicarios foraneos tot constituent, quot pro recursuum et negotiorum faciliiori expeditione sint necessarii.

Coadiutores cum futura successione parochis non deputent, ne, praetextu coadiutoriarum, ad datariam romanam trahantur Beneficia; temporaneis autem Vicariis satis parochorum necessitati consulitur.

Cathedraticum unico eoque anni tempore exigant, quo et Synodus celebrari, et olea sacra distribui possint; multiplicata enim itinera pauperos parochos gravant. Id autem, quod ultra cathedraticum exigere solent pro expensis Dioecesanis, ita expendant, ut expensi rationem in Synodo facere teneantur.

Pallium unius idque albi coloris habeant.

Quid gloriosius, commodius, utiliusque typographia Dioecesana, quam in singulis Dioecesibus erigi praecipitur impensis sive Episcopi, sive Seminarii, sive aliuscujuscumque alterius. Non enim spe lucri difficilliter trahentur plurimi ad eiusmodi erectionem.

Correctionis Domum instituant in quo insolentiores clerici propriis viventes impensis coerceantur.

Reparationem Beneficiorum specificam in visitationibus praefigere curent.

Nundinas diebus festis, aut saltem ante eorundem meridiem, fieri prohibeant, inito tamen hac super re cum Nuntio Apostolico, et Haeredibus consilio, imploratoque ad id eorundem brachio.

Ordines Sacros non conferant iis, qui in cantu Rutheno et scriptura etiam polonica non bene fuerint versati.

Vilnae, Varsaviae et Romae, ut clerici in iure ecclesiastico erudiri valeant, modus perquirantur.

Examinatores Synodales iuxta praxim in Concilio Tridentino praescriptam instituant.

Limites Dioecesium praefigant sine strepitu, maxime inter Metropolitanam et Polocensem Dioeceses, eadem ratione, qua Palatinatus (f. 67v.) et Districtus inter se distinguuntur; non enim fas est, ut in uno eodemque Palatinatu, aut Districtu, duplicis Episcopi iurisdictio conspiciatur, veluti per summam iniuriam Metropolitana exercet in Palatinatu Polocensi, et Orsensi districtu.

8. *Metropolitanam Curiam*, quisque exoptat constituendam esse perpetuo ex Delegatis Dioecesanis, qui negotia universae Ecclesiae Ruthenae pertractent cum ipso Metropolitanano, ordinatis sessionibus, more, quo in Urbe Congregationes v.g. Concilii vel Propagandae admirantur.

Metropolitanano quisque Episcopus omni triennio teneatur transmittere exactam suae Dioecesis relationem.

Iudices ad audiendas causas appellationem constituent Metropolitanani, unum in Lithuania, alterum in Polonia pro commodiori partium recursu.

Synodos omni quadriennio celebrent Provinciales, et Metropolitanano ad id negligente, primus ordine Antistes easdem convocare teneatur.

Regni Comitii omnino intersit duobus sociatus Abbatibus, totidemque Clericis ex unaquaque Dioecesi consequenter deputandis. Ante eiusmodi Comitiam, congressum hierarchicum, super qualitate et moto tractandorum negotiorum irremissibiliter teneat.

Resideat sex mensibus in Polonia, totidemque in Lithuania, eum in modum tempore disposito, ut in illa vivat Provincia, ubi celebrari debent comitia.

Vigilandum omni sollicitudine, ut iura Metropolitana Regibus proponendi Candidatos ad Episcopatus inviolabiliter matuteneantur: felicissimum cunque accideret, quoties Metropolitanus non alium Regiae Maiestati proponere dignaretur, nisi quem vacantis Dioecesis Clero sibi commendari adverteret.

Electio Metropolitana publico Russiae bono est utilissima et pernecessaria; qua sine nequidem Coadiutoria meditetur. In utroque autem casu, Episcoporum et Cleri interventus, vota, et consilium desiderantur.

Vestes uniformes praescribat Episcopis easdemque ipse ad exemplum servet; deportetque praeterea capucium album, cruce distinctum, in antiquissimae iurisditionis signum, veluti Kiyoviae etiam nunc observatur, et antiqua Metropolitanorum effigies hisce etiam in partibus deducitur.

Inconsulto Metropolitanano non ea Episcopi agant, quae rationis paritate universitatem Russiae spectare possent.

Consecrationem Episcoporum, absque duorum Antistitum assistentia,

non amplius peragat, nisi gravissima adsit necessitas, qua deficiente, fas est Pontificio utendi indulto.

Mitras uniformes et ad veram Graecorum formam reducendas (f. 68.) incumbet Episcopis: nec earundem similitudinem, baculi maiestatem, crucis luxum, et in Pontificalibus excessum, Abbatibus ullo modo permittat.

Bibliothecas in unaquaque Cathedrali singulis annis paululum comparandas demandet, et de executione mandati perquirat.

Synodis qui Regulares iure debeant interesse declaret.

Monasteriola ut, iuxta Sedis Apostolicae mentem, cum bonis et supellectili ecclesiastica, a monachis etiam Lithuanis quam primum dimittantur, Cleroque saeculari cedant, urgentissime agat in Urbe.

Apostatae a schismaticis ordinati, etiamsi ad S. Unionem rediverint, exercitio SS. Ordinum careant, quousque firmis probaverint documentis, non se apostatasse fine SS. Ordines furandi.

9. *Posta Dioecesana* fieri posset facillime ad Cathedram, ne misericuli sacerdotes etiam in minimis cogantur ad episcopalem cursitare aulam, propriasque deserere ecclesias: non enim cupientibus mittere epistolas grave esset rationabiliter easdem solvere, nec tabellionibus apud parochos constituendis damnum emergeret, quoties pro literarum transportatione debitam reciperent mercedem.

10. *Celebatus* utique foret Ecclesiae perutilis, si, stante frequenti ad ritum latinum transitu, de facili haberentur subiecta ad curam parochialem: igitur pro casu inhibendi transitus, nec secus, stabiliatur.

Posset etiam institui coetus Clericorum Regularum qui, monachis a iurisdictione Episcopali distractis, iuvent Episcopos et parochos in vinea Christi; dependeant immediate a suis loci Ordinariis, vivant in communi; sintque Beneficiorum capaces.

11. *Patronus Clero saeculari* ex beatis presbyteris pariter saecularibus eligatur, eiusque festum etsi non ad populum instituitur, et in qualibet ecclesia parochiali proprium illius habeatur Altare.

Martyrium venerabilis Klimontowicz, saecularis presbyteri Polocensis, universorum memoriae, pietati et zelo instantissime commendetur; ne diligentes actus Beatificationem praecedere soliti omittantur, quamvis hac super re nihil inchoandum sit, quousque debita instructio ex Urbe non obtineatur.

12. *Regulares etiam Abbates* clericorum saecularium consultationibus nullatenus intersint, nec eorundem negotiis se immisceant.

13. *Synodus Provincialis* pernecessario futura, ne aliquo differatur casu, tutissime praecavendum.

Eandem porro Vladimiriæ celebrari grave esset Lithuano Metropolitano et Polocensi Clero; proinde validissime instandum erit, ut in mediotullo celebretur, aliter solemnitas ad Sedem Apostolicam coram actis interponatur appellatio.

Ut autem in Synodo votorum, consiliorumque praevalentia veluti publico nociva securius vitetur, decernendum erit, ut ex unoquoque (f. 68 v.) Episcopatu presbyteri numero aequali interveniant: pro dignitate autem actu adeo solemnitate, tum pro faciliori negotiorum et materiarum Synodalium expeditione, praedicta uniuscuiusque Dioecesis aequalitas posset duodecim presbyteris concludi.

14. *Procurator universi Cleri* Rutheni perpetuo in Urbe conservetur, per ordinem ex Dioecesibus assumetur, sociumque ita habeat, ut alteruter sit ex diversa Dioecesi.

15. *Archivia Episcopalia* tuto collocentur ad Cathedras, suosque idoneos et bene provisos fixe habeant custodes.

16. *Filii Parochorum* ut in scholis erudiantur, dent operam parentes eorundem quisque pro virium tenuitate; qua in re fraudibus occurrendo praecipitur Decanis, ut negligentes et refractarios huic mandato parentes poenis praefigendis ad id adigant, et de successu Episcopum instruant.

17. *Locum in sessionibus Antesyndalibus* quisque Ablegatorum, iuxta proprii Episcopi praecedentiam obtineat, quin tollerandum sit, ut Episcopi praecedant Archiepiscopos, nisi universalis Ecclesiae hierarchiam invertere velimus. Si vere hac super re rixas excitari contigerit, satius iuri cedendum, quam publico operi praeiudicandum, salvis tamen expresse iuribus cedentium.

Datum Strunii, anno 1763, die 18 Maji, veteris styli.

JASON ARCHEP.PUS Polocensis (mp.)

II. BREVIA, EPISTULAE ALIAQUE DOCUMENTA

1.

*Breve PP. Clementis XIII. ad Nuntium Poloniae Visconti.*¹

Venerabili Fratri Antonio Eugenio Archiepiscopo Ephesino Nostro et
Apostolicae Sedis in Regno Poloniae Nuntio.

CLEMENS PP. XIII.

Venerabilis Frater Salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum sicut accepimus, Venerabilis Frater modernus Metropolita Russiae una cum Venerabilibus etiam Fratribus Episcopis Ruthenis unitis Synodum super rebus ad ejus Metropolitanam, aliasque Ecclesias Ruthenas spectantibus prope diem celebrare intendat, Nos Synodum hujusmodi recte et feliciter ad Dei gloriam, dictarumque Ecclesiarum utilitatem celebrari cupientes, Te, de, cujus prudentia, integritate et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, in praedicta Synodo Nostro, et Apostolicae Sedis nomine Praesidentem cum auctoritate, facultatibus, jurisdictione, honoribus, et oneribus similibus Praesidentibus competentibus, ac alias solitis et consuetis, Apostolica auctoritate tenore praesentium facimus, constituimus, et deputamus, Teque in Domino hortamur, et monemus, ut Synodum hujusmodi fideliter regere, ac in illa omnia, quae ad prosperum praedictarum Ecclesiarum Regimen, et Gubernium pertinet, decerni, statui, et ordinari cures, et facias, ita tamen, ut ea, quae in eadem Synodo decreta, statuta, et ordinata erunt, in suspenso remaneant, illorumque executio, donec a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praeposita, examinata, et approbata non fuerint, differri debeat. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae praedictis Metropolitanae, et Episcopis, ac dilectis Filiis Clero in praedicta Synodo congregatis, aliisque, ad quos pertinet, ut Te in ejusdem Synodi nostro, et praedictae Sedis nomine Praesidentem reverenter suscipiant,

¹Cf. ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 5 (originale).

Tibique in omnibus ad Praesidentis officium pertinentibus pareant, obediant, et assistant, tuaque salubria monita, et jussa humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ecclesiarum hujusmodi etiam Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die III Aprilis MDCCLXIV. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Card. ANTONELLUS

2.

*Breve Clementis PP. XIII. ad Metropolitanum et Episcopos.*²

Venerabilibus Fratibus Feliciano Wolodkowicz totius Russiae Metropolitanato atque Universis Ruthenis Episcopis Ritus Graeci in Provinciali Synodo congregatis.

CLEMENS PP. XIII.

Venerabiles Fratres Salutem et Apostolicam Benedictionem. Magno, praecipuoque cum animi nostri gaudio nuper accepimus, Fratritates Vestras fidei orthodoxae et disciplinae ecclesiasticae studio, prout bonos vigilesque Pastores decet, flagrantes in Synodum Provinciale convenire statuisse, ibique opportunis rationibus et remediis operam dare, ut abusus, si qui forent in Diocesibus vestris vel temporum calamitate, vel hominum fraude invecti, omnino extirpentur, ac purissima religionis facies sine labe aut macula ubique splendet. Pro quo verae pietatis ac pastoralis officii zelo non solum debitas vobis laudes impense tribuimus, sed etiam petimus atque obsecramus in Domino, ut hoc egregium pieque susce-

² Cf. ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 15 (originale)

ptum negotium ad finem usque viriliter perducatis, et abusus praedictos sive inter populos irrepserint, sive inter sacros ministros regimini vestro commissos, e medio tolli ac penitus eradicari faciatis. Quod quidem unicum atque ardens desiderium nostrum aperte magis, ac fusius Vobis explicabit Venerabilis Frater Antonius Eugenius Archiepiscopus Ephesinus Noster et Sedis Apostolicae in Regno Poloniae Nuntius, quem, ut intelligatis, quantopere Vos amemus, vestramque virtutem quanti faciamus, eidem Synodo adesse, ac Nostro Nomine praesidere volumus, quo facilius et spiritualibus vestris necessitatibus opem ferre, et caetera omnia sedulo agere ac promovere possit, quae divinae gloriae incremento, animarum saluti, et communi vestro bono conducere, atque expedire videbuntur. Vestrum igitur huic Praesuli auctoritate nostra suffulto, tum eos honores et reverentiae significationes exhibere, quas praecellentibus eius dotibus et conspicuo quod gerit muneri deberi intelligitis, tum eiusdem ornamentum haud dubie cessura. Quae dum vos alacri, promptoque animo ita praestituros confidimus, ut maiora in dies a Nobis laudum praeconia, et uberimam in coelis mercedem consequi mereamini, Deum Omnipotentem rogamus, ut sit in medio Vestrum, quatenus ad illius iustitiam faciendam Vestra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera, et Fraternitatibus Vestris Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum in Arce Castri Gandulphi Albanensis dioecesis, sub Annulo Piscatoris, die XV Junii MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

MICHAEL ANGELUS GIACOMELLUS

3.

*Breve Clementis PP. XIII. ad Ordinem Basilianum.*³

Dilectis Filiis Protoarchimandriae, Provincitalibus et Consultoribus Ruthenis
Ordinis S. Basilii Magni.

CLEMENS PP. XIII.

Dilecti Filii Salutem et Apostolicam Benedictionem. In Summo Apostolatus Vertice collocanti ihil magis prae oculis habemus atque animo concupiscimus, quam Ecclesiam Catholicam, Jesu Christi Sanguine fundatam, et sanctissimis legibus Institutam, sincera Fidei observantia mo-

³ Cf. ASV, *Arch. Nunz. Vars.* t., 99, f. 16 (originale).

rumque illibata florere disciplina. Quare, cum Venerabiles Fratres Nostri Rutheni Episcopi, eiusdem Fidei vinculo nobiscum arcte conjuncti, in Synodum Provinciale convenire decreverint, ut propriis gregibus, si quis unquam abusus inter illos irrepserit, remedium afferant, atque Orthodoxae Religionis cultum integrum ab omni labe custodiant, Nos eiusmodi egregium, piumque consilium et valde probavimus, et negotium dedimus Ven. Fratri Antonio Eugenio Archiepiscopo Ephesino, Nostro et Sedis Apostolicae in Regno Poloniae Nuntio, ut praefatae Synodo intersit, eique praesidens Auctoritate Nostra sedulo promoveat quaecumque cognoverit apprime utilia vel Religionis bono, vel Nationis Ruthenae commodo atque ornamento. Verum, Dilecti Filii, cum Vestra quoque auctoritas, doctrina, ac prudentia haud parum huic sancto operi conferre valeat, ideo Vos in Domino hortamur, ac petimus, ut, quemadmodum alias impigre fecistis, eidem Synodo adesse, atque in medium proferre velitis quidquid opportunum videbitur tum Dei gloriae amplificandae, tum Cleri et Populi moribus reformandis, ne sordes neglectae in morbum evadant, et gravius inde discrimen oriatur. Cui desiderio Nostro dum plane confidimus Vos alacri obsequio satisfacturos, a Deo Patre luminum Vobis interea caelestium donorum copiam precamur, et Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum in Arce Castri Gandulphi Albanensis dioecesis die XV. Junii MDCCLXV. Pontificatus Nostri Anno Septimo.

MICHAEL ANGELUS GIACOMELLUS

4.

*Copia Litterarum Convocatoriarum.*⁴

FELICIANUS Episcopus

Ill. mis, Perill. bus, Rmis, Adm. Rndis, Dnis Archiepiscopis, Episcopis, Proto-Archimandritae, Archimandritis, Provincialibus, Consultoribus Synodalibus, Consultoribus Ordinis Monastici tam Generalibus quam Provincialibus, Delegatis Dioecesium ad futuram Synodum eligendis, omnibus et

⁴ Cf. ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 79-80.

singulis jus interesse Synodo habentibus, notum facimus: quod etsi anno proxime elapso 1764 non intermiserimus, prout muneris nostri Archipastoralis ratio postulabat, Synodum Provinciale convocare, Literasque Convocatoriales anno eodem die 1 Januarii extraditas ad eos, quorum intererat transmiserimus, in quibus et rationes convocandae Synodi exposuimus, et quibus praemissis diligentibus ad eam celebrandam accedere constitueramus, satis luculenter enarravimus; sed cum deinde Respublica in Interregno posita suisque rebus consulens nostras etiam curas ad invigilandum negotiis S. Unionis et Roxolanae, cui immerito praesumus, Ecclesiae avocaret, non modo de nostra, verum etiam Excell.mi, Ill.mi, E.mi D.ni Nuntii Apostolici, quem S. Apostolica Sedes, ut paternae erga Gentem Nostram caritatis testificationem faceret, in Praesidem futurae hujus Synodi designavit, sententia, ejusdem Synodi celebrationem ad terminum Interregni distulimus; cum vero in praesentiarum Divina erga hoc inclytum Regnum Providentia Serenissimum et Potentissimum Principem Stanislaum Augustum orbatae Reipublicae in Patrem et Regem desideratissimum designaverit, Ejusque clementissimi ingenii cum publica tranquillitate et prosperitate juncti fascibus nos subjecerit, mox eo studia nostra convertimus, ut prorogatum ad feliciora, quibus iam Deo miserante fruimur, tempora, Synodi convocationem perficeremus. Quocirca implorato Divinissimi Spiritus auxilio, re collocata ac de expresso placito Ill.mi, Excell.mi, R.mi D.ni Nuntii Apostolici, ut specialiter ad hanc nostram futuram Synodum auctoritate Apostolica Delegati Praesidis, eandem Synodum indicendam, et ad civitatem Brestensem in Magno Ducatu Lithuaniae sitam pro die 26 mensis Augusti anni praesentis juxta Calendarium Romanum convocandam esse duximus, prout de facto indicimus et convocamus per praesentes Literas Nostras, requirentes ab Ill.mis, Perill.bus, R.mis, Adm. R.ndis Dominationibus Vestris, quatenus memores suorum respective, accedendi ad Synodum, ubi vocati fuerint, emissorum Juramentorum, ad civitatem Brestensem pro die supra memorata se conferant, et in loco Synodo celebrandae assignato compareant, de rebus S. Unionis et Orthodoxae Ruthenae Ecclesiae consulturae. Aeternus Pater luminum, a quo omne donum perfectum descendit, veri pietatis, zeli, et amoris erga Sponsam Christi Ecclesiam ardore corda nostra accendat, Spiritu humilitatis, discretionis et studii in procuranda ovium nobis commissorum salute nos impleat, et ubi in nomine Christi congregati fuerimus, in medio nostro praesens adsit, cogitationes nostras dirigat, intentiones rectas faciat, et pia desideria ad laudem et honorem Nominis sui directa perficiat.

Datum ad Cathedram Nostram Vladimiriensem, anno etc. die etc. mensis etc.

5.

*Epistula Metropolitanæ Wolodkowycz ad Regem Augustum.*⁵

SERENISSIME, et POTENTISSIME REX!

Cum jam regnante Augusto III felicitatis recordationis a pie functo totius Russiae Metropolitanæ prædecessore meo destinatum fuisset Synodum Provinciam convocare ad disciplinam et commoda Ritus Nostri Rutheno-Uniti promovenda, statim ac ego Metropoliae administrationem adeptus fui, hoc tam sanctum ac necessarium opus, quod ille fato interceptus nequivit executioni demandare, cogitavi, quod jam factum fuisset anno elapso, nisi Interregni difficile tempus intervenisset. Nunc vero cum divino summo beneficio Majestas Vestra Serenissima in Solio Regni Nostri sit collocata, cujus virtute, et sapientia omnia jam sunt tuta, atque tranquilla, consilium Synodi convocandæ renovavi, sperans Excellentissimum et Reverendissimum Nuncium Apostolicum a Summo Pontifice Praesidem designatum, diem 26 Augusti proximi pro ejus inchoatione Brestiae assignatum esse, Majestati Vestrae Serenissimæ, cujus Catholicae Religionis zelus, veraeque pietatis cultus ac studium primas esse virtutes omnibus constat, non solum id nequaquam futurum, quinimo maximæ laetitiae fore confido, ut Unionis Nostræ Sanctæ disciplina, decusque serventur. Quamobrem humillime supplico, ut in hoc gravi negotio omni auxilio, protectioneque sua Regia nos impertiri dignetur. Illa enim et Majestati Vestrae Serenissimæ summam gloriam, nostroque Ritui utilitatem, decusque non mediocre erit allatura. Clementia, et benignitas sua maxima spem mihi certam facit hanc nobis gratiam non denegatum iri, quapropter devotissimum meum obsequium sinceramque fidelitatem ipsi confirmans, etc.

6.

*Copia responsi Regis ad Litteras Metropolitanæ totius Russiae.*⁶

STANISLAUS AUGUSTUS etc.

Adm. R.nde in Ch.to Pater Sincere Nobis Dilecte.

Binas Sinceritatis Vestrae recepimus literas per manus Reverendi, ac

⁵ Cf. ASV, *Nunz. di Pol.*, t. 278, f. 62-62 v, vel *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 85-85 v. (copia). NB. Uti patet ex rescripto Regis epistula scripta fuit die 2 Maii 1765 anno.

⁶ Cf. ASV, *Nunz. Arch. Vars.*, t. 99, f. 87-88, vel *Nunz. di Pol.*, t. 278, f. 68-68 v.

sincere Nobis dilecti Procancellarii Regni. Primis harum literarum de die 25 Apr. Sinceritas Vestra diem Sti Tutelaris Nostri, Nobis gratulata est, quas quidem grato excepimus animo. Alteris vero earundem de die 2 Maji significavit Nobis Sinceritas Vestra, quod cum sub tempus Regni immediate praeteriti Antecessor suus Metropolita voluisset cogere Synodum Provincialem, quodque ille morte proreptus praestare non potuit, Sinceritas Vestra exequi statuisset, sperans fore ut et Rnd.mus Nuntius Apostolicus in hac Synodo ex parte Curiae Romanae futurus, eidem cogendae diem 26 Augusti designaturus sit, nec Nos benevolentia Nostra Regia dictae Synodo simus defuturi, abstinere non potuimus, quin quam aegre adeo intempestivam expostulationem feramus, Sinceritati Vestrae testatum faciamus: dudum jam enim Sinceritatis Vestrae intererat hanc Nobis mentem suam explicare, et ad cogendam dictam Synodum assensum Nostrum Regium exposcere, memoremque fuisse debitae Regnantibus Venerationis, atque eo magis, quod Sinceritatem Vestram non lateat, in omnibus bene ordinatis Regnis Congressus, Conventusque publicos absque assensu Regio tolerari non posse. Praeterquam, quod autem Sinceritas Vestra debitum Officiis suis, ut Civis Reipublicae hujus erga Regem, ac Dominum suum defuerit, insuper etiam hac sua dicta altera epistola nuntiatoria dumtaxat, non autem (: ut par fuit): expostulatoria, pervigiles Nos in Jura Nostra Regia fallere in animo suo statuit. Facile igitur colliget Sinceritas Vestra non per alium quam per se ipsam stetisse, quominus communis Ritus sui necessitas suum sortiatur effectum. Nos interea Paternae rem omnem complecti cupientes Sinceritatem Vestram in animo Nostrum excusatum haberi volumus, cumque Nostram dumtaxat Regiam expostulasset opem, ac benevolentiam, Nos Nostrum etiam consensum eodem contextu expostulatum fuisse benigne interpretamur, atque adeo salutari operi (: quale est Provincialis Synodus:) ut cogi possit, Autoritate Nostra Regia assentimur, et necessarium consensum Nostrum impertimur, praemonitamque Sinceritatem Vestram, ac Succedaneos suos Adm. R.ndos Metropolitanos esse volumus, ne similes Congressus Provinciales amplius convocent sine praecedente Nostrum, et Successorum Nostrorum Regum Poloniae consensu.

Interim Sinceritati Vestrae omnia prospera praecamur a Domino.
Dabantur etc...

7.

*Copia Pro-Memoriae Nuntii Visconti ad Cancellarium Coronae.*⁷

Summarium: Nuntius Magno Secretario significat legationem regiam ad Synodum Provinciale[m] contrariam esse libertati Ecclesiae, quae hucusque in Polonia ius habebat deliberandi et decernendi quicquid ad bonum regimen dioecesium pertineat. Synodus Ucrainorum scopum unicum habet, bonum scilicet hierarchicum procurandum, nihilque noxii aut tranquillitati publicae contrarii afferetur. Persistente Rege in sua opinione ipse ordinem habet Synodo non assistendi.

En conséquence du discours, que Votre Excellence m'a tenu de la part de Sa Majesté, j'ai l'honneur de vous envoyer le Mémoire ci-joint en priant Votre Excellence de me procurer la réponse au plutôt possible, ce qui m'obligera infiniment et augmentera les sentiments d'estime et de respect, avec lesquels je suis etc. De Varsovie ce 30 Juin 1765.

Mémoire.

Le Nonce ayant entendu qu'on aurait pu penser à envoyer des Députés royaux pour assister au Synode Provincial des Grecs Catholiques, qui doit se tenir à Brest le 26 du mois d'Août, et auquel il doit présider, il s'est crû obligé d'en informer sa Cour, de laquelle il a reçu ordre de représenter à Sa Majesté, qu'une telle députation est contraire à la liberté de l'Eglise, qui s'est toujours conservée en possession de délibérer et établir ce qu'il peut être nécessaire pour le bon réglément des diocèses, sans que les princes y prennent aucune part, ce qui est clair même pour les actes des Synodes tenus en Pologne, et particulièrement par le Synode Provincial des mêmes Grecs catholiques tenu à Zamosc l'an 1720 sous la présidence de Monseigneur Grimaldi Nonce dans ce temps-là. La Cour de Rome se flatte que Sa Majesté voudra se persuader de cette vérité; mais au cas contraire, comme elle ne peut pas approuver cette nouveauté, elle lui a ordonné de ne pas assister au dit Synode. Quoique le Nonce ait raison d'espérer, que Sa Majesté ne pourra jamais douter, que dans le Synode s'établisse aucune chose contraire à ses droits, ou capable de troubler la tranquillité publique, néanmoins pour prévenir tout doute, on pourra aisément trouver quelque moyen par lequel Sa Majesté sera assurée que les résolutions de ce Synode tendront uniquement à procurer le bien de la hiérarchie Grecque Catholique, objet bien digne même du zèle et de

⁷ Cf. ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 91, vel *Nunz. di Pol.*, t. 278, f. 80-81v.

la piété assez connue de Sa Majeste et jamais à introduire la moindre nouveauté, laquelle puisse déplaire à Sa Majesté, n'ayant sa Cour d'autres sentiments que ceux de conserver en tout temps et en toute occasion la bonne intelligence avec Sa Majesté.

Varsovie, ce 30 Juin 1765.

8.

Mémoire remis de la part du Ministère de Sa Majesté le Roi et de la République de Pologne à S. E. Mgr. Visconti Nonce Apostolique, en réponse de celui qu'il a présenté au susdit Ministère le 30 Juin dernier.⁸

Summarium: Ad Synodum cogendam duae conditiones irremovibiles in Pro-Memoria exhibentur: 1) authentica notitia de serie tractandorum, seu de obiecto Synodi (exceptis rebus dogmaticis), et 2) praesentia in Synodo regiae legationis. Hisce praecautioibus adductis tutior evadere tranquillitas publica atque futura tempora Reipublicae, cuius ordinis custos et conservator est Rex actualis. Tamquam iustificatio eius decisionis adducebantur exempla Synodorum Berestensis (1596) et Lublinensis (1680), ubi potestas civilis suam partem habebat.

Le Roi ayant appris l'intention du Clergé Grec uni d'assembler cette année un Synode à Brzesc en Lithuanie pour régler des points de disciplines nécessaires parmi eux n'a pu qu'approuver ce louable désir. Mais comme l'attention vigilante qu'Elle doit à toutes les parties de l'administration de son Royaume, attire nécessairement ses regards sur toute assemblée qui s'y tient, Le Roi ne saurait négliger, aucun soin qui peut Le mettre à même de savoir exactement tout ce qui se passe et de porter remède à ce qui pourrait s'y rencontrer de nuisible à Sa Majesté ou à la République.

Pour remplir ces deux objets il ne se présente que deux méthodes suffisantes. La première pourroit être, que le Clergé grec uni presenta, avant le Synode, une notice authentique par écrit de tout ce qui doit faire l'objet de ses délibérations, avec cette assurance enoncée, qu'après la fin du Synode ses conclusions et règlements ne seront publiés ni obligatoires qu'après avoir été examinés et approuvés par Sa Majesté. La seconde méthode seroit, que le Roi nomme des commissaires, qui de Sa part assisteront au Synode avec des instructions convenables. Tout Gouver-

⁸ Vide originale: ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 94-95 v. vel copiam: *Nunz. di Pol.*, t. 278, f. 89-90.

nement sage est obligè de pourvoir non seulement aux cas présents, mais autant que possible aussi à ceux que la prévoyance leur montre dans l'avenir, l'attachement fidel qua Sa Majesté a lieu de se promettre de tous ses sujets sans exceptions et nommement de ceux du rit Grec uni, ainsi que la bienveillance sincère, efficace et si bien éprouvée du St. Père heureusement régnant, et le dévouement de son digne représentant Mgr. le Nonce Visconti pourroit pour cette fois dispenser Sa Majesté de toute inquiétude sur le Synode actuellement en question, si toutes les formalités qu'on observera aujourd'hui à cet égard, n'entraînoient après elles la conséquence de l'exemple non seulement pour tout le Règne présent, mais pour la suite des temps, dans laquelle il est impossible de se promettre toujours un Pontife, un Nonce, un Clergè des circonstances aussi favorablement disposés. Et il n'y a que la réunion des 4 conditions qui puissent mettre le Roi et la Rèpublique de Pologne à l'abri de tout inconvénient de la part d'un Synode, où le président le plus dévoue au Roi et à la République /: telle autorité que lui soit attribuée par la Cour de Rome: /ne peut pas garantir, qu'il ne soit du moins proposé par quelqu'un des membres rien que ce lui Président voudra, et dans les assemblées nombreuses souvent il suffit qu'une matière dangereuse soit proposée pour gagner comme une incendie un progrès rapide. Le seul remède sûr seroit comme il a été dit ci-dessus, qui après avoir annoncé préalablement « *seriem tractandorum* », le Synode ne puisse conclure efficacement /:NB. dans les matières, qui ne sont pas de Dogme: / qu'avec le consentement Royal à moins qu'il n'assiste des commissaires Royaux au Synode en question à l'exemple de celui de l'année 1596, tenu le 6. Octobre pareillement à Brzesc sous le Pontificat de Clément VIII et sous le Règle de Sigismund III de la part du quel y assistèrent Nicolas Prince Radzivil Palatin de Trok, Léon Sapieha Chancelier et Démetrius Hulewicz trésorier de Lithuanie. De même qu'en 1680 le 24. Janvier pour le Synode convoqué à Lublin furent nommés de la part du Roi Jean III. Stanislas Witwicki Evêque de Cujavie, Eustache Kotowicz Evêque de Smolensk, Marsien Oginski Palatin de Trok, Michel Prince Czartoryski de Wolhinie, George Wielhorski Castellan de Braclaw, Marius Jaskulski Castellan de Kijovie et Michel Sokolinski Grand Notaire de Lithuanie.

Ces exemples n'étant que la suite de tout ce qui s'est pratiqué aux Conciles Oécuméniques toujours convoqués et célébrés sous les auspices de l'autorité séculière, mais surtout la conviction du bien de l'état, font la loi à Sa Majesté, qui désire ardemment que rien n'empêche Sa Sainteté de rendre justice au zèle constant, respectueux et éclairé du Roi pour tout ce qui touche la Religion, lequel affermit en Lui, celui qu'il montre

dans toutes les occasions pour l'accomplissement de ses devoirs de Roi Patriote.

Fait à Varsavie, le 10 de Juillet 1765.

ANDRÉ ZAMOYSKI Grand Chancelier de la Couronne

ANDRÉ MŁODZIEJOWSKI Chancelier de la Couronne.

9.

Instructio R.ndo in Christo Patri Stephano Gedroic Episcopo Livoniae Commissario pro Synodo Ritus Uniti Ecclesiae Graecae, Brestae in Lithuania die 26 mensis currentis Augusti celebranda, Varsaviae die 7 Mensis Augusti anno 1765, ex Cancellaria Regni extradita.⁹

1. Rnd. in Christo Commissarius Noster pro Synodo Ritus Uniti Ecclesiae Graecae, Brestae in Lithuania die vigesima sexta hujus mensis incidente, post receptam una simul cum Epistola Nostra hanc instructionem, comparebit pro die praedicta Brestiae, et ibi cum praenominatis nostris Commissariis consociatus, facta inter se cointelligentia, respectu convenientiae, quae Commissariis Nostris ab R.ndo Metropolitano et R.ndis Episcopis et vicissim illis a Commissariis Nostris debita erit, ad locum ubi Synodus celebrabitur tempestive condescendat, et circa inchoationem illius, cuvulim, sedile sive scamnum pro sua congruentia occupabit.

2. In materias Synodales, id est illas, quae ipsum internum gubernium Ritus Uniti Ecclesiae Graecae respiciunt, non ingeret se, et ad omnia, quae ad effectum ejusmodi gubernii pertractabuntur, et concludentur, in passivitate manebit.

3. Si autem in propositionibus aut conclusionibus aliquid audiret, quod in derogationem Auctoritatis Nostrae Regiae, aut Jurium Nostrorum et Republicae, sive integritati Jurium Collatorum Beneficiorum inferiretur, aut de facto proponeretur, a conclusione et connotatione ejusmodi propositorum inter conclusa Synodi eandem Synodum retrahat, et si ad Ejus remonstrationem Synodus acquiescere renuerit, tunc rogabit ut in Actis Synodi connotetur, quod ejusmodi puncto hujus conclusionis Ipse contrarius erat.

⁹ Cf. ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 99, f. 84-84 v. vel *Nunz. di Pol.*, t. 278, f. 112-112 v.

4. Aestimabit R.ndus in Christo Commissarius Synodum totam ad media invenienda quibus serpentibus odiis Graecorum Unitorum contra Latinos obviari ex parte possit; id ipsum etenim Superioribus Ecclesiasticis Ritus Latini in Dioecesibus quae cum Graecis Unitis vicinitatem habent, in tempore suo commendabitur.

5. Insistet in Conclavi Synodi ut perlegatur Memoriale a Schismaticis per Episcopum Albae Russiae Ritus Graeci non uniti nobis porrectum quod copiatim annectitur, et ut nobis ex Synodo detur informatio realissima, quae ad respondendum eidem Memoriali inservire valeat.

6. Quot Archimandritae ad Collationem Nostram Regiam spectantes subtilibus mediis dispositioni R.ndi Generalis Ordinis Basiliani subjecti adeo, quod pro praesentatione nostra Regia, ad illa facienda supplicare desistatur; igitur R.nd. in Christo Commissarius Noster, pro elucidatione hujus circumstantiae et integritate Juris Nostri instabit, ac insimul specificacionem Archimandriarum et omnium aliorum Beneficiorum si quae apparent ad Collationem Nostram Regiam spectantia, accipere, et nobis circa relationem impositae sibi praesentis functionis reddere debet.

Ad extremum, circa conclusionem Synodi, et relectionem Actorum illius, si deveniretur ad subscriptionem Actorum Synodi, R.ndus in Christo Commissarius, post subscriptionem personarum quae vocem activam in Synodo habuerunt, se subscribere curabit, in omnibus manutenendo Auctoritatem Nostram Regiam et justitiam.

Datum ut supra etc..

Ad proprium S. R. Majestatis Mandatum

ANDREAS MŁODZIEJOWSKI
Procancellarius Regni

10.

*Epistula Card. Torrigiani ad Nuntium.*¹⁰

Per conto del Sinodo Ruteno sono debitore di risposta ai suoi Numeri del 25 Settembre, e 2 del presente Mese, nei quali V. S. Ill.ma mi parla di tal materia. Le istruzioni, che la Corte aveva date al Vescovo di Livonia destinato da Lei per suo Commissario al Sinodo, non sono cer-

¹⁰ ASV, *Arch. Nunz. Vars.*, t. 40, f. 80, vel *Nunz. di Pol.*, t. 278, f. 73 v-74.

tamente offensive della libertà Ecclesiastica, nè contrarie al bene della Religione, o all'autorità dei suoi Ministri. Con tutto ciò stando il maggior male nell'introduzione dell'esempio e nei disordini, che in altre occasioni potrebbe l'assistenza de' Commissari Regi cagionare nei Sinodi, bisogna però sostenere le massime di escludere i laici da tali adunanze Ecclesiastiche, e piuttosto non tenerle, che di farne violare la libertà.

Intanto Nostro Signore è stato assai contento della parlata che con vigore e con sode ragioni ha Ella fatta al Re in questo proposito, e quantunque non siasi S. Maestà piegata al di Lei volere, avrà almen giovato alla difesa, per quanto si può dei diritti del Sacerdozio, e ora non rimane altro per disimpegno di questa controversia, che il non tenere più il Sinodo.

Romae, 26 Octobris 1765.

INDEX NOMINUM

Numeri referentur ad paginas voluminis. Signati « n » referentur ad notas earundem paginarum.

- ALBORUTHENI 15. 25.
ALBORUTHENIA 14. 36. 162 (Alba Russia).
ANDREAS Ap. S. 140.
ANTONELLUS, Card. Nicolaus 152.
ARCHINTO Albericus, Nuntius Polon. 11n. 32n. 44.
ARMENI 91.
AUGUSTUS II., rex Polon. 14.
AUGUSTUS III., rex Polon. 14. 15. 26. 27. 33. 36. 44. 52. 55. 156.
AUSTRIA 5n. 33. 43.
BALSAMON 139.
BAR, op. Confoederatio 41. 42. 43. 47.
BASILIANI (Ordo S. Basilii Magni) 2. 4. 5. 6. 10n. 11. 12. 25. 27. 28. 29. 32. 44. 46. 47. 48. 49. 50. 55. 56. 57. 58. 97. 98. 99. 106. 112. 136. 146. 147. 149. 153. 154. 162.
S. BASILIUS M. 22n.
BELZ, op. - Dioecesis 43.
BENEDICTUS XIII, Papa 2n. 24.
BENEDICTUS XIV, Papa 3. 6. 9n. 11. 12. 15. 26. 27. 28. 29. 30. 32. 36. 44. 48. 56. 75. 77. 79. 81. 90. 92. 96. 103. 106. 117. 120. 126. 138. 141. 144.
BERESTJ, op. (Brest, Brest Litovskij, Brzesc) 3. 8. 9. 20. 31. 37. 50. 54. 155. 156. 158. 159. 161. - Dioec. 43. - Synodus (a. 1596) 61. 63. 65. 159. 160. - Synodus (a. 1764-6) 13. 19. 31. 33. 38. 43. 46. 47. 48. 49. 50. 51-57. 59-69. 75. 77. 78. 79. 81. 82. 85. 87. 96. 97. 100-108. 155-163. - Unio 3. 8. 20. 21.
BERLO Arsenius, Ep. Mohilov. 14.
BILINSKYJ Hypatius OSBM 49.
BOHEMIA 33.
BORUSSIA 33. 38. 40.
BRACLAV, op. 47. 64. 160.
BRANICKI (familia) 34.
BREST v. Berest
BRITANIA 38.
CAMENEC (Kamenez), op. - Dioec. 43.
CASTELLI, Card. Josephus 49n. 53n.
CASTRUM Gandulphi 153. 154.
CATHARINA II (De Anhalt Zerbst), Imperatrix Moscoviae 33. 34. 35. 36. 37. 40. 41. 42. 66.
CHALCEDONENSE Concilium 3.
CHELM, op. - Dioec. 3. 43. - Ep. un. 44. 45. - Monasterium OSBM 44.
CHOJNATSKYJ A. 19n.
CHOMA Joannes, sac. 79.
CLEMENS VIII, Papa 10. 31n. 97n. 160.
CLEMENS XI, Papa 125.
CLEMENS XIII, Papa 31. 36. 39. 59. 79. 151. 152. 153.
CLEMENS, filius Augusti III. 55.
CONGREGATIO S. Concilii 2n. 45.
CONGREGATIO S. de Propaganda Fide 2n. 3. 6n. 7. 10. 12. 29. 31. 32. 46. 53. 58n. 91. 148. 151.
CONSTANTINOPOLIS, Patriarca 140.
CRACOVIA (Krakow) - Ep. 39. 41n.
CUJAVIA, Ep. 160.
CYRILLUS III, Metropolita 84n. 94. 121.

- CZARTORYSKI, familia 15. 26. 34. 35.
50n. 63. - Palatinus Russiae 62. 63n.
104. - Michael, princeps 160.
- CZENSTOCHOVA 43.
- CETVERTYNSKYJ Sylvester, Ep. Mohilov. 14.
- DANIA 38.
- DE MARTINIS Raphael 27n. 28n.
- DERMAN, monasterium 44n.
- DNIPRO, fl. 42.
- DUBNO, op. 3. 11. 44n. - Capitulum 3.
55. 56.
- DURINI Angelus Maria, Nuntius Polon.
40. 42. 43. 47. 68n.
- ELISABETH, imperatrix Russiae 15.
- EUGENIUS IV, Papa 91.
- FEDERICUS Augustus, rex Polon. 28.
29. 34n.
- FEDERICUS II, rex Borussiae 33. 34.
- FLORENTIA, op. - Concilium 10. 99.
- GALICIA, prov. 2n. 25.
- GALLI, Card. 50.
- GAMS P. B. In.
- GARAMPI Josephus, Nuntius Varsav.
31. 43. 47. 68n. 98.
- GEDROIC Stephanus, Ep. Livoniae 38n.
54. 161.
- GIACOMELLUS Michael Angelus 153.
154.
- GNESNA, AEp. 39.
- GOAR Jacobus 139.
- GODEBSKYJ Theophilus, Ep. Vladimiri-
mrien. 45.
- GONTA Ivan 42.
- GRAECI 10. 120. 121. 122. 124. 139.
140. 149.
- GREGORIUS XIII, Papa 29.
- GREGORIUS XVI, Papa 2n.
- GREGORIUS Protosyncellus 139.
- GRIMALDI Hieronymus, Nuntius Po-
lon. 1. 158.
- GRODNO, civ. - Diaeta 15.
- GROT v. Turkevÿ Georgius 75. 76.
- HADIAĀ, civ. - Tractatus 39n.
- HAJDAMAĀYNA 42.
- HALYĀ, civ. 43.
- HEBREI 115. 118. 119. v. Judaei
- HREBANYCKYJ Florianus, Metropolita
12. 15. 26. 27. 30. 32n. 36. 44. 45n.
46. 52. 75. 76. 78. 106.
- HULEWICZ Demetrius 160.
- HUMAN, civ. 42n. 48.
- IGNATIUS S. 102. 140.
- IRENAEUS S. 87.
- ISIDORUS, Card. In.
- IZJASLAV, princeps 84n.
- JASKULSKI Marius, castellanus 160.
- JOANNES S. Chrysostomus 22n.
- JOANNES III, rex Polon. 160.
- JOSAPHAT S. 102. 140.
- JUDAEI 143. 144. 145. v. Hebrei
- KARPINSKYJ Nicodemus OSBM 50.
56.
- KEISERLING 37.
- KIEV, op. 24n.
- KIOVIA, op. In. 14. 36. 47. 64. 88. 105.
114. 148. 160. - Palatinatus 47. -
Palatinatus 46. - Synodus (1147) 84n.
94. 121.
- KISZKA Leo, Metropolita 1. 2n. 47n.
84n. 126.
- KLIMONTOWICZ Emilianus, sac. 102.
140. 149.
- KOBRIN, monasterium - Synodus 65.
84n. 86. 145.
- KONYSKYJ Georgius, Ep. Mohilov. 13.
15. 36. 37. 38. 76.
- KOROLEVSKYJ C. 19n.
- KOTOWICZ Eustachius, Ep. Smolen-
scensis 160.
- KRASINSKI 41.
- KULCZYNSKI Ignatius OSBM 145.
- KULIKOWSKI Clemens, sac. 79. 141.
- KUZNECENSIS residentia OSBM 4.
- LEMBERG 2n. 25n. v. Leopoldis
- LEOPOLIS (Lwow) op. 2. 3. 6. 7. 20.
21n. 25. 31n. 64. - Capitulum 3. -

- Collegium Pont. 101. - Dioec. un. 3.
11. 25. 26n. 43. 78. 82. 84. - Ep. un. 29.
31. 45. 50. 59. 63. 65n. - Stauropegia 2n.
11n. - Synodus 22. 24. 32. 73. 83. 84.
86. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 97.
99. 100. 101. 102. 105.
- LEWINSKYJ Stephanus, Ep. Coad. Lu-
ceorien. 75. 76n. 77.
- LIPSKI Tadeusz 54n.
- LISANSKYJ Heraclius, Ep. Smolen-
scensis 38. 55.
- LISOVSKYJ Heraclius, Ep. Polocen. 31.
44. 75. 77. 78n. 79. 106. 107.
- LITHUANI 149.
- LITHUANIA 10n. 13. 33n. 50. 63n. 141.
148. 155. 159. 160. 161.
- LIVONIA, Ep. 54. 66n. 161. 162.
- LUBIENSKI Wladislaus, AEp. Leopol.
61. 66.
- LUBLIN, Synodus (1680) 61. 65. 160.
- LUCEORIA (Luck), civ. 3. 21n. (Lutsk).
- Dioec. 3. 14. 26n. 43. - Ep. 27. 44n.
45. 56. 75. 76n. 77.
- MARONITI 87n.
- MAZEPA Joannes, dux 13.
- MELCHITI 11.
- MERCATI 79.
- MERLINI Camillus, Legatus Ap. 2.
- MEYSZTOWICZ V. 79.
- MINSK, Seminarium 145.
- MLODOWSKYJ Antonius, Ep. Turov.
38. 46. 52. 55. 61. 73. 74. 75. 77. 78.
80n. 104.
- MLODZIEJOWSKI Andreas, Cancellar-
ius 47. 57. 61. 161. 162.
- MOHILOV, civ. 28. 36 (Mohilovia). -
Dioec. 14. 15. 27. 36. - Ep. 14. 42n.
76.
- MOSCA, op. 39n.
- MOSCOVIA 1n. 5n. 13. 14. 33. 35. 36.
39n. 41. 56. 88. 99. 104. 114.
- MOSCOVITI 8n. 15. 28 (Moschi). 29. 35.
107.
- MSTISLAV, Dioec. 14. 36.
- MYŠKOVSKYJ T. 19n.
- NEDILSKYJ S. 1n.
- NOVITSKYJ Samuel 31.
- NOVOGRODEK 3. 6. 30. - Capitulum 3.
20. - Congressus (Conventus) 30. 36.
52. 75. 78. - Synodus 84n.
- ODINCOV N. 19n.
- OGINSKI Marcius, palatinus 160.
- OFFICIUM S. 12.
- OLGA S. 102. 140.
- OLIVA, pactum (tractatus) 37. 39n.
- ORŠA 148. - Dioec. 14. 36.
- PAVLOV 22n.
- PAULUS S. Ap. 102. 139.
- PELESZ J. 79.
- PETROPOLIS (Petersburg, Petrohrad,
Petroburg) 14. 27. 36. 37. 43. 55. 67n.
76n. - Aula 13. 14. 35. 103. - Synodus 14.
- PETRUS S. Ap. 102. 139.
- PETRUS I, czar 14. 29.
- PETRUS II, czar 14.
- PETRUS III, czar 34n. 35n.
- PHILIPPOVIANISMI error 88.
- PHOTIUS, Patriarcha 102.
- PIASECCIUS (Piasecki) 143.
- PINSK - Dioec. 43. 135. - Ep. 45. 75.
127.
- PIUS IV, Papa 87.
- PIUS V, Papa 10.
- PIUS VII, Papa 2n. 84. 97.
- PIUS IX, Papa 2n. 8n. 89. 101.
- POČAJOV, monasterium OSBM. 25.
- PODOSKI Gabriel Janosza, AEp. Gnesn.
40. 41.
- POLOCK 150. - AEp. 28. 31. 36. 38.
75. 80. 106. 150. - Dioec. 26. 30. 43.
74. 77n. 78. 83. 85. 100n. 148.
- POLONI 7. 8. 10n. 11. 13. 27. 30. 42.
60. 61. 62. 63. 65. 105. 107.
- POLONIA 5n. 6. 8. 10. 11. 12. 13. 14.
29. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39n. 40. 41.
43. 52. 55. 56. 58n. 59n. 61. 64. 68. 98.
103. 105. 148. 158. 160.
- PONIATOWSKI (familia) 50n.
- PONIATOWSKI Stanislaus Augustus,
rex Polon. 34. 35. 37. 38n. 39n. 40.

54. 55. 56. 57. 62. 68. 104. 107. 155.
156.
POTIJ Hipatius, Ep. Vladimiriensis. 45.
POTOCKI (familia) 34.
POTOCKI Franciscus Salesius, palatinus
Kioviensis. 46. 48n. 95.
PRASZKO Joannes 19n.
PREMISLIA 3. 21n. (Przemysl). - Dioec.
11. 25. 26n. 43. 84. - Ep. 6. 29. 50.
59. 65n.
PRUSSIA 34. 39n.
- RADOMIA, Confoederatio 40. 41.
RADOMISLIA, loc. 31n.
RADZIWILL (familia) 34.
RADZIWILL Carolus 40.
RADZIWILL Nicolaus, palatinus 160.
RAES A. S. J. 19n. 23.
ROZUMOVSKYJ, dux Cosacorum 34n.
37.
REPNIN 35. 37. 39n. 40. 41.
ROMA 12. 14. 20. 26. 27. 30. 36. 38.
40. 45. 53. 54. 56n. 58. 62. 64. 73. 74.
81. 125. 147. 149. 150. 152. 158. 160.
163.
ROSETTI Ignatius 31.
ROSTOCKYJ Theodosius, Metropolitae 32.
106.
ROXOLANIA 155.
RUDNYCKYJ Theodosius, Ep. Luceo-
riensis. 27.
RUMJANZEV 37n.
RUSSI 40n.
RUSSIA 1. 2n. 10n. 13n. 14. 33. 34n.
40n. 41. 43. 57n. 121. 126. 139. 140.
145. 148. - Palatinus 62n. 63n.
RUTHENI 2n. 8n. 10n. 20. 23. 24. 26n.
29. 32n. 58n. 141. 145. 146. 147. 154.
- Uniti 7. 8. 10. 11. 14. 15. 23n. 27.
28. 37. 38n. 67. 68. 78. 105. 107. 144.
162.
RUTSKYJ Velamin, Metropolitae 4. 84n.
86.
RYLLO Maximilianus, Ep. Chelmen. 31.
44. 45. 46.
- SALUZZO Ferdinandus Maria, Nuntius
Polon. 76. 77n.
- SAMBOR, civ. 43.
SAPIEHA, Ep. 15. 27.
SAPIEHA Leon, Cancellarius 160.
SASSONIA 34n.
SEMBRATOVIČ Sylvester, Metropolitae
84n.
SERBELLONI Fabritius, Nuntius Po-
lon. 4.
SEVERUS Gabriel 22n.
SIANOK, civ. 43.
SIBERIA 41.
SIGISMUNDUS III, rex Polon. 10. 27.
28. 45. 160.
SIMEON Thessalonicensis 22n.
SKARBEK Joannes, Ep. Leopold. 8n.
SMOGORZEVSKYJ Jason, Metropolitae
32. 36. 38. 55. 75. 76. 80. 106. 150.
SMOLENSK, Ep. 38. 160.
SOCIETAS Jesu 3n. 6n. 20. 23. 27.
SOKOLINSKI Michael, notarius 160.
SOLOVIJ Meletius, OSBM 79.
SOLTAN Josephus, Metropolitae 84n.
SOLTYK Caietanus, Ep. Cracov. 39. 41.
SOSNOWSKI Josephus 54n.
SPAS, monasterium OSBM 44n.
SPINELLI, Card. Josephus 12. 45. 46n.
47n.
STANISLAOPOLIS (Stanyslaviv) -
Dioec. 84.
STRUNIE, loc. 80. 150.
SUBCARPATIA 84n.
SUPRASL, monasterium OSBM, 3. 4.
5n. 25. 97. 126.
SZEPTYCKYJ Athanasius, Metropolitae
2. 3. 4. 5. 6. 15. 20. 24. 25. 26.
SZEPTYCKYJ Athanasius, Ep. Premi-
slien. 50. 59. 64. 104.
SZEPTYCKYJ Leo, Ep. Leopold. 6. 31.
43. 46. 48. 50. 53. 59. 63. 64. 104.
SZUMLANSKYJ Cyrillus 14.
SZUMLANSKYJ Onuphrius, Ep. Pre-
misl. 6. 25.
- TORRIGIANI, Card. 34n. 65. 68. 162.
TRIDENTINUM Concilium 20. 32n. 83.
87. 89. 90. 94. 147.
TROKY, civ. 160.
TRULLANUM Concilium 98.

- TURKEYVYČ, Georgius Grot sac. 75. 76.
77. 78. 104.
- TUROV, Ep. 38. 52. 75. 145.
- TURSKI, Ep. 43n.
- TYRNAVA 84n.
- UCRAINI 13. 15. 20. 25. 39. 62. 107.
158.
- UCRAINA 13n. 30n. 37. 42. 46. 63. 67.
95. 99.
- UNIO 3. 7. 8. 9. 20. 21n. 24n. 25. 30n.
31n. 36. 38. 44. 47n. 62. 63. 64. 66. 76.
77. 78. 96. 102. 105. 106. 114. 124.
126. 140. 141. 144. 145. 149. 155. 156.
- UNITI v. Rutheni
- UNIOV, monasterium OSBM 25.
- URBANUS VIII, Papa 9n. 10. 12. 87.
94.
- USTRYCKYJ Hieronymus, Ep. Pre-
misl. 25.
- VALACHIA 88. 114.
- VALAVA, loc. 25.
- VARSAVIA 4. 8n. 14. 31. 36. 39n. 40.
42. 43. 46n. 63n. 66. 74. 75. 97. 111.
127. 147. 158. 159. 161.
- VILNO, op. 7. 75. 147. - Collegium 6n. -
Seminarium 29. - Synodus 84n.
- VINDOBONA, Nuntiatura 31. 40.
- VISCONTI Antonius Eugenius, Nuntius
Polon. 9n. 12. 31n. 34n. 37. 38n. 40.
41n. 43. 46. 52. 53. 55. 56. 57. 63.
68n. 73. 75. 104. 151. 153. 154. 158.
159. 160.
- VITOLD, princeps 84n.
- VLADIMIRUS S. 102. 107. 140.
- VOLČANSKYJ Hieronymus, Ep. Mohi-
lov. 15. 27. 36.
- VOLČANSKYJ Josephus, Ep. Mohilov.
14. 15.
- VOLHYNIA, prov. 25. 30. 160.
- VOLODIMIRIA (Vladimiria) 3. 30. 75.
78. 80. 141. 150. 155. - Dioec. 43. 45.
46. - Synodus 84n.
- VOLTAIRE 40n.
- WAZYNSKYJ Porphyrius, OSBM. 32.
76n.
- WELYKYJ Athanasius, OSBM 79.
- WIELHORSKI Georgius, castellanus
160.
- WITWICKI Stanislaus, Ep. Cujavien.
160.
- WOLODKOWYCZ Philippus, Metro-
polita 12. 30. 44. 45. 46. 47. 48. 52.
59n. 78. 80n. 104. 106. 152. 154. 156.
- WYHOWSKYJ Romanus, archidiacono-
sus 45.
- ZALIZNIAK Maxym (Zelesniak) 42.
- ZALUSKI Andreas, Ep. Cracov. 41.
- ZAMOST, op. 47n. - Synodus Prov.
(1720) 1. 2. 7. 10. 14. 20. 21n. 24. 25.
30n. 32. 49. 53. 55. 56. 65. 73. 79. 81.
83. 84. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93.
94. 95. 96. 97. 98. 99. 101. 102. 103.
104. 105. 106. 107. 115. 121. 132. 138.
140. 142. 146. 158.
- ZAMOYSKI Andreas, Cancellarius M.
41. 60. 63. 74. 161.
- ZERBST v. Catharina II. 34n.
- ZUBRYCKYJ Dionysius 11n.
- ŽOCHOVSKYJ Cyprianus, Metropolita
22.

